



Sancti Hieronymi Stridoniensis Operum, Tomi ...

Continens Commentaria Super Psalmos; Quibus accessit Psalterium ipsum ex Hebraico ab ipso Hieronymo Latinitate donatum ... Multis In Locis Avcta

...

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Coloniae Agrippinae, 1616

Divi Hieronymi In Psalmos Ivxta Hebraicam Veritatem Ad Sophronivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75125)

E G

**DIVI HIERONYMI IN PSALMOS IUXTA
HEBRAICAM VERITATEM AD SOPHRO-
NIVM PRÆFATIO.**

Scio quosdam putare psalterium in quinque libros esse diuisum, ut vbiq; apud Septuaginta interpretes scriptū est, *psalterium* id est, fiat fiat, finis librorum sit, pro quo in Hebræo legitur: amen amen. Nos autem Hebræorum auctoritatem secuti, & maximè Apostolorum, qui semper in nouo testamento, psalmorum librum nominant, vnum asserimus psalmorum volumen. Psalmos omnes afferimus testamur auctorem, qui ponuntur in titulis, Dauid scilicet, Asaph, & Idithun, filiorum Core, Eman, Ezrahita, Moyse & Solomonis, & reliquorum quos Ezdras primo volumine comprehendit. Si enim amen, pro quo Aquila translulit *amen* in fine tantummodo librorum poneretur, & non interdū, aut in exordio, aut in calce sermonis, siue sententiæ, nunquam Saluator in Euangelio loqueretur: Amen amen dico vobis; nec Pauli epistolæ in medio illud opere continerent. Moyse quoq; & Hieremias & ceteri in hunc modū multos haberent libros, qui in medijs voluminibus suis, Amen, frequenter interferunt. Sed & numerus viginti duorum librorum Hebræicorum, & mysteriū eiusdem numeri commutabitur. Nam & titulus ipse Hebræicus, *sepher tehillim* ספר תהלים, quod interpretatur volumen hymnorum, apostolicæ auctoritati congruens, nō plures libros, sed vnum volumen ostendit. Quia igitur nunc cum Hebræo disputans, quadam pro domino Salvatore de psalmis testimonia protulisti, volensque te illudere, per sermones penè singulos assererat non ita haberi in Hebræo, ut tu de Septuaginta interpretibus opponeris, studio-

sisimè postulasti, ut post Aquilam & Symmachum & Theodotionem, nouam editionem Latino sermone transferrem. Aiebas enim te magis interpretum varietate turbari, & amorem tuum quo laboris, vel translatione vel iudicio meo esse contentum. Vnde impulsus à te, cui & quæ possum debeo, & quæ non possum, rursus me obtrahentium latratibus tradidi, maluique te vires potius meas, quàm voluntatem in amicitia requirere. Certè cōfidenter dicam, & multos huius operis testes citabo, me nihil duntaxat sententiæ de Hebræica veritate mutasse. Sicubi ergo editio mea à veteribus discreparet, interroga quemlibet Hebræorum, & liquido peruidebis, me ab æmulis frustra lacerari, qui malunt contemnere videri præclara, quàm discere. Peruersissimi homines. Nam cum semper nouas expectant voluptates, & gulæ eorum vicina maria non sufficiant: cur in solo studio scripturarum, veteri sapore cōtenti sunt? Nec hoc dico, quo prædecessores meos mordeam, aut quicquam his arbitrer detrahendum, quorum translationem diligentissimè emendatam, olim meæ linguæ hominibus dederim: sed quodd aliud sit in Ecclesijs Christo credentium psalmos legere, aliud Iudæis singula verba calumniatibus, respondere. Quod opusculum meum, si in Græcum (ut polliceris) transluleris, & imperitiæ meæ doctissimos quoque viros testes facere volueris, dicam tibi illud Horatianum: In syluam ne ligna feras. Nisi quodd hoc habebis solamen, si in labore communi intelligam mihi & laudem, & vituperationem tecum esse communem. Vale.

PSALMVS I.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non sedit, & in cathedra derisorum non sedit. Sed in lege domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum transplantatum iuxta riuulos aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et folium eius non defluet, & omne quod faciet prosperabitur. Non sic impij, sed tanquam puluis quem proijcit ventus. Propterea non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in congregatione iustorum. Quoniam nouit dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit.

PSALMVS II.

Quare turbabuntur gentes, & tribus meditabuntur inania? Confurgent reges terræ, & principes tractabunt pariter aduersum dominum, & aduersum Christum eius. Dirumpamus vincula eorū, & proijciamus à nobis laqueos eorū. Habitator cæli ridebit, dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Ego autem ordinaui regem meum super Sion montem sanctum meum. Annuntiabo Dei præceptum, dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam ter minos terræ. Pasces eos in virga ferrea, ut vas figuli conteres eos. Nunc ergo reges intelligite, erudimini iudices terræ. Serui-

te domino in timore, & exultate in tremore. Adorate purè ne fortè irascatur, & pereatis de via. Cum exarserit post paululum furor eius, beati omnes qui sperant in eum.

¶ *Psalmus David cum fugeret à facie Absalon filij sui.*

PSALMVS III.

Domine quare multiplicati sunt hostes mei, multi confurgunt aduersum me. Multi dicunt animæ meæ, non est salus huic in Deo. Semper. Tu autem domine clypeus circa me, gloria mea & exultans caput meum. Voce mea ad dominum clamabo, & exaudiet me de monte sancto suo. Semper. Ego dormiui & soporatus sum, & vigilauit, quia dominus sustentauit me. Non timebo millia populi, qui circumdederunt me. Surge domine, saluum me fac Deus meus, quia percussisti omnium inimicorum meorū maxillam, dentes impiorum confregisti. Domini est salus, super populum tuum benedictio tua. Semper.

¶ *Victori in canticis psalmus David.*

PSALMVS IV.

Inuocantem me exaudisti me Deus iustitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi: miserere mei, & exaudi orationem meam. Filij viri vsquequo in clyti mei, ignominiosè diligitis vanitatē quæretes mendaciū. Semper. Et cognoscite quoniam mirabilē reddidit dominus sanctum suū, dominus exaudiet cum clamauero ad eum. Irascimini & nolite peccare, loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, & tacete.

A tacete. Semper. Sacrificate sacrificia iustitiæ, & fidere in domino. Multi dicunt quis ostendit nobis boni, leua super nos lucem vultus tui domine. Dedisti lætitiã in corde meo, in tempore frumētum eorum & vinum eorum multiplicata sunt. In pace simul quiescam & dormiam, quia tu domine specialiter securum habitare fecisti me.

¶ *Victori pro hereditatibus psalmus David.*

PSALMVS V.

Verba mea audi domine, intellige murmur meū. Aduerte ad vocem clamoris mei rex meus & Deus meus, quia te deprecor. Domine mane audies vocem meam, mane præparabor ad te & cōtemplabor. Quoniam non Deus volens iniquitatem tu, nec habitabit iuxta te malignus. Non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum, odisti omnes operantes iniquitatem. Perdes loquentes mendaciū, virum sanguinū & dolosum abominabitur dominus. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuā, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Domine deduc me in iustitia tua propter insidiatores meos, dirige ante faciem meā viam tuam. Non est enim in ore eorum rectum, interiora eorum insidia: sepulchrum patens guttur eorum, linguam suam leuificant. Condemna eos Deus, decidant à consilijs suis: iuxta multitudinem scelerum eorum expelle eos: quoniam prouocauerunt te. Et lætentur omnes qui sperant in te, in perpetuum laudabunt: proteges eos, & lætabuntur in te qui diligunt nomen tuum. Quoniam tu benedices iusto, domine vt scuto placibilitatis coronabis eum.

¶ *Victori in canticis super oīana psalmus David.*

PSALMVS VI.

B Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Miserere mei domine quoniam infirmus sum ego: sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea conturbata est valde, & tu domine vsquequo. Reuertere domine erue animam meam, salua me propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte recordatio tui, in inferno quis confitebitur tibi. Laboravi in gemitu meo, natare faciam tota nocte lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Caligauit præ amaritudine oculus meus, cōsumptus sum ab vniuersis hostibus meis. Recedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quia audiuit dominus vocem fletus mei. Audiuit dominus deprecationem meam, dominus orationem meam suscepit. Confundantur & conturbentur vehementer omnes inimici mei, reuertantur & confundantur subito.

¶ *Psalmus David, quem cecinit domino super verbis Chus filij Lemini.*

PSALMVS VII.

Domine Deus meus in te speravi, salua me ab omnibus persequentibus me, & libera me. Ne forte capiat vt leo animam meam: laceret, & non sit qui erit. Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi malum, & dimisi hostes meos vacuos. Persequatur inimicus animam meam, & apprehendat & concaleat in terra vitam meam, & gloriã meam in puluerem collocet. Semper. Surge domine in furore tuo, eleuare indignans super hostes meos, & consurge ad me iudicio quod mandasti. Et congregatio tribuum circundet te, & pro hac in altum reuertere. Dominus iudicabit populos, iudica me do-

C mine secundum iustitiam meam, & secundum simplicitatem meam quæ est in me. Consummetur malum iniquorum: & confirmetur iustus, probator cordis & renum Deus iustus. Clypeus meus in Deo, qui saluat rectos corde. Deus iudex iustus & fortis, comminans tota die. Non conuertenti gladium suum acuet, arcum suum terendit & parauit illum. Et in ipso præparauit vasa mortis, sagittas suas ad comburendum operatus est. Ecce parturit iniquitatem, cōcepto dolore peperit mendacium. Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in interitum quem operatus est. Reuertetur dolor suus in caput eius, & super verticem eius iniquitas sua descendet. Confitebor domino secundum iustitiam eius, & cantabo nomini domini altissimi.

¶ *Victori pro torcularibus psalmus David.*

PSALMVS VIII.

Domine dominator noster, quàm grande est nomen tuum in vniuersa terra: qui posuisti gloriam tuam super cælos. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem, propter aduersarios tuos, vt quiescat inimicus & vltor. Videbo enim cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ fundasti. Quid est homo quoniam recordaris eius, vel filius hominis quoniam visitas eum? Minus eum paulominus à Deo, gloria & decore coronabis eū. Dabis ei potestatem super opera manuum tuarum, cuncta posuisti sub pedibus eius. Oves & armenta omnia, in super & animalia agri. Aues cæli & pisces maris, qui trāsunt femitas ponti. Domine dominator noster, quàm grande est nomen tuum in vniuersa terra.

¶ *Victori super morte filij canticum David.*

PSALMVS IX.

Confitebor domino in toto corde meo: narra-
Dbo omnia mirabilia tua. Lætabor & gaudebo in te, canam nomini tuo altissime. Cūm ceciderint inimici mei retrorsum, & corruerint & perierint à facie tua. Fecisti enim iudicium meum & causam meam, sedisti super solum iudex iustitiæ. Increpasti gentes, perijt impius, nomen eorum delesti in sempiternum & iugiter. Inimici complete sunt solitudines in finem, & ciuitates subuertisti: perijt memoria eorum cum ipsis. Dominus autem in sempiternum sedebit, stabiliuit ad iudicandum solum suum. Et ipse iudicabit orbem in iustitia, iudicabit populos in æquitatibus. Et erit dominus eleuatio oppresso, eleuatio opportuna in angustia. Et confident in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te domine. Cantate domino habitatori Sion, annuntiate in populis cogitationes eius. Quoniam quærens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamoris pauperum. Miserere mei domine vide afflictionem meā ex inimicis meis, qui exaltas me de portis mortis. Vt narrem laudes tuas in portis filix Sion, exultabo in salutari tuo. Demersæ sunt gentes in interitu quem fecerunt, in reti quod absconderunt, captus est pes eorum. Agnitus est dominus iudicium faciens, in opere manuum suarum corruit impius, meditatione semper. Conuertantur impij in infernum, omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum. Quoniam non in æternum obliuioni erit pauper: expectatio pauperum nō peribit in perpetuum. Surge domine, non confortetur homo: iudicentur gentes ante faciem tuam. Pone domine terrorem eis: sciant gentes, homines esse te semper.

PSAL-

PSALMVS X.

Quare domine stas à longe, despicias in temporibus angustia. In superbia impij ardet pauper: capiuntur in sceleribus quæ cogitauerunt. Quia laudauit impius desiderium animæ suæ, & auarus applaudens sibi blasphemauit dominum. Impius secundum altitudinem furoris sui non requiret: nec Deus in omnibus cogitationibus eius. Parturiunt via eius in omni tempore: longè sunt iudicia tua à facie eius, omnes inimicos suos despicit. Loquitur in corde suo, non mouebor: in generatione & generatione ero sine malo. Maledictione os eius plenum est, & dolis & auaritia: sub lingua ei⁹ dolor & iniquitas. Sedet insidiarius iuxta vestibula in absconditis vt interficiat innocentem: oculi eius robustos circumspiciunt. Insidiatur in abscondito quasi leo in cubili, insidiatur vt rapiat pauperem: rapiet pauperem cum attraxerit eum ad rete suum. Et contractum subiciet, & irruet viribus suis valenter. Dixit in corde suo, oblitus est Deus: abscondit faciem suam, non respicias in perpetuum. Surge domine Deus leua manum tuam, noli obliuisci pauperum. Quare blasphemat impius Deum, dicens in corde suo quòd non requirit. Vides quia tu laborem & furorem respicias, vt detur in manu tua: tibi relinquuntur fortes tui, pupillo tu es factus adiutor. Contere brachium impij & maligni: quares impietatem eius, & non inuenies. Dominus rex sæculi & æternitatis, perierunt gentes de terra illius. Desiderium pauperum audisti domine: præparasti vt cor eorum audiat auris tua. Vt iudices pupillum & oppressum, & nequaquam vitra superbiat homo de terra.

¶ *Victori David.*
PSALMVS XI.

In domino speraui, quomodo dicitis animæ meæ, tranfluola in montem vt auis. Quia ecce impij tenderunt arcum: posuerunt sagittam suã super neruum, vt sagittent in abscondito rectos corde. Quia leges dissipatæ sunt, iustus quid operatus est. Dominus in templo sancto suo, dominus in cælo thronus eius: oculi eius vident, palpebræ eius probant filios hominum. Dominus iustum probat: impium autem & diligentem iniquitatem, odit anima eius. Pluet super peccatores laqueos ignis & sulphur, & spiritus tempestatis pars calicis eorum. Quoniam iustus dominus iustitias dilexit: rectum videbunt facies eorum.

¶ *Victori pro octauo psalmus David.*
PSALMVS XII.

Salua domine quoniam defecit sanctus: quoniam imminuti sunt fideles à filiis hominum. Frustra loquuntur vnusquisq; proximo suo, labium subdolum in corde & corde loquetur. Disperdat dominus omnia labia dolosa, linguam magniloquam. Qui dixerunt linguam nostram roboremus, labia nostra nobiscum sunt: quis noster dominus est? Propter vastitatem inopum à gemitu pauperum, nunc cõsurgam dicit dominus: ponam in salutari auxilium eorum. Eloquia domini eloquia mûda: argentum igne probatum separatum à terra, colatum septuplum. Tu domine custodies ea, seruabis nos à generatione hac in æternum. In circuitu impij ambulabunt, cum exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.

¶ *Victori psalmus David.*
PSALMVS XIII.

Vsquequo domine obliuisceris mei penitus: vsquequo abscondis faciem tuam à me. Vsquequo ponam consilia in animam meam, dolorem in cor-

de meo per diẽ, vsquequo exaltabitur inimicus meus super me. Conuertere exaudi me domine Deus meus: illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte. Ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum: hostes mei exultabunt si motus fuero. Ego autem in misericordia tua cõfido, exultabit cor meum in salutari tuo: cantabo domino, qui reddidit mihi.

¶ *Victori David.*
PSALMVS XIV.

Dixit stultus in corde suo, non est Deus: corrupti sunt, abominabiles facti sunt, studiosè non est qui faciat bonum. Dominus de cælo prospexit super filios hominum, vt videret si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes recefferunt: simul conglutinati sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Nonne cognoscẽt omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant populum meum vt cibum panis, dominum non inuocauerunt. Ibi timebunt formidine: quoniam Deus in generatione iusta est. Consilium pauperum confudisti: quoniam dominus spes eius est. Quis dabit de Sion salutare Israel, quando reduxerit dominus captiuitatem populi sui: exultabit Iacob, lætabitur Israel.

¶ *Psalmus David.*
PSALMVS XV.

Domine quis peregrinabitur in tentorio tuo, & quis habitabit in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, loquiturque veritatem in corde suo. Qui non est facilis in lingua sua, nec fecit amico suo malum: & opprobrium non sustinuit super vicino suo. Despicitur in oculis eius improbus, timentes autem dominum glorificabit: iurat vt se affligat, & non mutat. Pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera aduersum innoxium non accepit: qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

¶ *Humili & simplicis David.*
PSALMVS XVI.

Custodi me Deus, quoniam speraui in te. Dixi Deo, dominus meus es tu: benè mihi nõ est sine te. Sanctis qui in terra sunt, & magnificis omnis voluntas mea in eis. Multiplicabuntur idola eorũ, post tergum sequentium: non libabo libamina eorum de sanguine, neque assumam nomina eorum in labijs meis. Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei, tu possessor fortis meæ. Lineæ ceciderunt mihi in pulcherrimis, & hereditas speciosissima mea est. Benedicam dominum qui dedit mihi consilium: in super & noctibus erudierunt me renes mei. Proposui dominum in cõspectu meo semper: quia à dextris meis est ne cõmouear. Propterea lætatum est cor meum, & exultauit gloria mea: & caro mea habitauit confidenter. Non enim derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Ostendis mihi semitam vitæ, plenitudinem lætitarum ante vultum tuum: decores in dextera tua æternos.

¶ *Oratio David.*
PSALMVS XVII.

Audi Deus iustum, intende deprecationẽ meam: auribus percipe orationem meam, absque labijs mendacij. De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates. Probasti cor meum, visitasti nocte: conlasti me, & non inuenisti cogitationes meas transire os meum. In opere hominũ propter verbum labiorum tuorum, ego obseruaui vias

RON
7.8.

A latronis. Sustenta gressus meos in callibus tuis, & nō labētur vestigia mea. Ego inuocaui te, quia exaudies me Deus: inclina aurem tuā mihi, audi eloquiū meū. Mirabilem fac misericordiā tuā saluatori sperantiū, à resistētibz dexterā tuę. Custodi me quasi pupillam intus in oculo, in vmbra alarū tuarum protege me. A facie impiorum vastantiū me, inimici mei animā meā circūdederunt. Adipe suo cōcluserunt, & ore locuti sunt superbē. Incedentes aduersum me, nunc circūdederunt me: oculos suos posuerunt declinare in terrā. Similitudo eius quasi leonis desiderantis prādā, & quasi catuli leonis sedētis in absconditis. Surge domine pręueni faciem eius, incurua eum: salua animam meā ab impio, qui est gladius tuus. A vis manus tuę domine, qui mortui sunt in profundo: quorū pars in vita, & quorū de absconditis tuis replesti ventrē: qui saturabūtur filiis, & dimittēt reliquias suas paruulis eorum. Ego in iustitia videbo faciem tuam, implebor cum euigilaero similitudine tua.

¶ *Victori seruo domini Dauid, qui locutus est domino verba cantici huius, in die qua liberauit eum dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul.*

PSALMVS XVIII.

ET dixit, diligam te domine fortitudo mea. Domine petra mea, & robur meū, & saluator meus: Deus meus fortis me, & sperabo in eo: scutum meū, & cornu salutis meę, susceptor meus. Laudatum inuocabo dominū, & ab inimicis meis saluus ero. Circūdederunt me funes mortis, & torrentes diaboli terruerūt me. Funes inferni circūdederunt me, pręuenerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocabo dominum, & ad Deum meū clamabo: exaudiet de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus ante faciē eius veniet in aures eius. Commota est & contremuit terra: & fundamenta montiū concussa sunt, & cōquassata sunt, quoniam iratus est eis. Ascendit fumus de furore eius, & ignis ex ore eius deuorans: carbones incensi sunt ab eo. Inclinauit cęlos & descendit, & caligo sub pedibus eius. Et ascēdit super Cherub & volauit, & volauit super pennas venti. Posuit tenebras latibulum suum: in circuitu tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus ætheris. Pręfulgore in conspectu eius nubes transierūt, graudo & carbones ignis. Et intonuit in cęlo dominus, & altissimus dedit vocem suam: grandinem & carbones ignis. Et emisit sagittas suas & dissipauit eos, & fulgura multiplicauit & conturbauit illos.

B Et apparuerunt effusiones aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis ab increpatione tua domine: ab inspiratione spiritus furoris tui. Mittet de alto & accipiet me, & trahet me de aquis multis. Liberabit me de inimicis meis potētissimis, & de his qui oderunt me: quoniam robustiores me erant. Pręuenient me in die afflictionis meę, & factus est dominus firmamentum meum. Et educet me in latitudinem, liberabit me quia placui ei. Retribuet mihi dominus secundum iustitiam, & secundum munditiam manuum mearum reddet mihi. Quia custodiui vias domini, & nō egi impiā deo meo. Omnia enim iudicia eius in conspectu meo, & pręcepta eius nō amouī à me. Et fui immaculatus cum eo, & custodiui me ab iniquitate mea. Et restituit mihi dominus secundum iustitiā meam, & secundum munditiam manuum mearū in conspectu oculorum eius. Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocenter ages. Et cum electo electus eris, & cum peruerso

C peruerteris. Quia tu populum pauperem saluabis, & oculos excelsos humiliabis. Quia tu illuminas lucernam meam: domine Deus meus illumina tenebras meas. In te enim curram accinctus, & in Deo meo transiliam murum. Deus immaculata via eius, eloquium domini igne examinatum: scutum est omnium sperantium in se. Quis est Deus pręter dominum, & quis fortis pręter Deum nostrum? Deus qui accingit me fortitudine, & posuit immaculatam viā meam. Coęquans pedes meos ceruis, & super excelsa statuens me. Docens manus meas ad prælium, & componens quasi arcum arcū brachia mea. Dedisti mihi clypeum salutis tuę, & dextera tua confortauit me, & mansuetudo tua multiplicauit me. Dilatabis gressus meos subtus me, & non deficient tali mei. Persequar inimicos meos & apprehendam eos, & non reuertar donec consumam eos. Cadam eos & non poterunt surgere, cadent sub pedibus meis. Accinxisti me fortitudine ad prælium, incuruabis resistentes mihi subtus me. Inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Clamabunt, & non erit qui saluet: ad dominum, & non exaudiet eos. Delebo eos vt puluerem ante faciē venti, vt lutum platearum prōiciam eos. Saluabis me à contradictionibus populi, pones me in caput gentium: populus quem ignorauī, seruiet mihi. Auditione auris obediet mihi, filij alieni mentiuntur mihi. Filij alieni defluent, & contrahentur in angustiis suis. Viuit dominus & benedictus Deus meus, & exaltabitur Deus salutis meę. Deus qui das vindictas mihi, & congregas populos sub me. Qui seruas me ab inimicis meis, & à resistētibz mihi eleuas me: à viro iniquo libera me. Propterea confitebor tibi in gentibus domine, & nomini tuo cantabo. Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam Christo suo, Dauid & semini eius vsque in æternum.

¶ *Victori psalmus Dauid.*

PSALMVS XIX.

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Non est sermo, & non sunt verba, quibus non audiat vox eorum. In omnem terram exiuit sonus eorū, & in finibus orbis verba eorum: soli posuit tabernaculum in eis. Et ipse quasi sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt fortis ad currendam viam. A summitate cęli egressus eius, & cursus eius vsque ad summitatem illius: nec est qui se abscondat à calore eius. Lex domini immaculata conuertens animas: testimonium domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Pręcepta domini recta lætificātia cor: mandatū domini lucidum illuminans oculos. Timor domini mundus perseuerans in sæcula: iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multū, & dulciora super mel & fauū redundantem. Vnde seruus tuus docebit ea: in custodiendis eis retributio multa. Errores quis intelligit, ab occultis munda me. A superbis quoque libera seruum tuum, si non fuerint dominati mei, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Sint placentes sermones oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo: domine fortitudo mea, & redemptor meus.

¶ *Victori psalmus Dauid.*

PSALMVS XX.

Exaudiat te dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium de sancto:

sancto: & de Sion roboret te. Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat semper. Det tibi secundum cor tuum, & omnem voluntatem tuam impleat. Laudabimus in salutari tuo, & in nomine Dei nostri ducemus choros: implet dominus omnes petitiones tuas. Nunc scio quoniam saluabit dominus Christum suum: exaudiet eum de caelo sancto suo, in fortitudine salutis dexteræ eius. Hi in curribus, & hi in equis: nos autem nominis domini Dei nostri recordabimur. Ipsi incuruati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus. Domine salua: rex exaudies nos in die qua inuocauerimus te.

¶ *Victori psalmus David.*
PSALMVS XXI.

Domine in fortitudine tua lætabitur rex, & in salutari tuo exultabit vehementer. Desiderium cordis eius dedisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum semper. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus bonitatis: pones in capite eius coronam de obrizo. Vitam petiuit à te & dedisti ei: longitudinem dierum in seculum & in æternum. Magna gloria eius in salutari tuo: gloriam & decorem pones super eum. Pones enim eum in benedictione sempiternam, & hilarabis eum latitia apud vultum tuum. Quia rex confidet in domino, & in misericordia excelsi non decipietur. Inueniet manus tua omnes inimicos tuos: dextera tua inueniet odientes te. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: dominus in furore suo præcipitabit eos, & deuorabit eos ignis. Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum de filiis hominum. Quoniam inclinauerunt super te malum, cogitauerunt scelus quod non poruerunt. Quoniam pones eos humerum, funes tuos firmabis contra facies eorum. Exaltare domine in fortitudine tua, cantabimus & psallemus fortitudines tuas.

¶ *Victori pro seruo matutino, canticum David.*
PSALMVS XXII.

Deus meus Deus meus quare dereliquisti me: longè à salute mea verba rugitus mei. Deus me clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, nec est silentium mihi. Et tu sancte: habitator laus Israel. In te confisi sunt patres nostri: confisi sunt, & saluasti eos. Ad te clamauerunt & salui facti sunt: in te confisi sunt & non sunt confusi. Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum & despectio plebis. Omnes videntes me subfannant me: dimittunt labium, mouent caput. Confugit ad dominum, saluet eum: liberet eum, quoniam vult eum. Tu autem propugnator meus ex utero: fiducia mea ab vberibus matris meæ. In te proiectus sum ex vulua: de ventre matris meæ Deus meus es tu. Ne longe fias à me, quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est adiutor. Circumderunt me vituli multi: tauri pingues vallauerunt me. Aperuerunt super me os suum quasi leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effusus sum, & separata sunt omnia ossa mea: factum est cor meum sicut cera liquefacta in medio ventris mei. Aruit velut testa fortitudo mea, & lingua mea adhæsit palato meo, & in puluere mortis detraxisti me. Circumderunt me venatores, consilium pessimorum vallauit me: fixerunt manus meas & pedes meos. Numeravi omnia ossa mea: quæ ipsi respicientes viderunt in me. Diuiserunt vestimenta mea sibi: & super vestimentum meum miserunt sortem. Tu autem domine ne longè facias: fortitudo mea in auxilium meum festina. Erue à gladio animam meam: de manu canis solitariam meam. Salua me ex ore leonis, & de cornibus vnicornium exaudi me. Narrabo nomē

tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te. Qui timetis dominum laudate eum: omne semen Iacob glorificate eum, & metuite eum vniuersum semen Israel. Quoniam non despexit neque contempsit modestiam pauperis, & non abscondit faciem suam ab eo: & cum clamaret ad eum, exaudiuit. Apud te laus mea in ecclesia multa: vota mea reddam in conspectu timendum eum. Comedent mites & saturabuntur, laudabunt dominum querentes eum: viuet cor vestrum in sempiternum. Recordabuntur & conuertentur ad dominum omnes fines terre, & adorabunt coram eo vniuersæ cognationes gentium. Quia domini est regnum, & dominabitur gentibus. Comederunt & adorauerunt omnes pingues terræ ante faciem eius: curuabunt genu vniuersi qui descendent in puluere, & anima eius non viuet. Semen seruiet ei, narrabitur domino in generatione. Veniet & annuntiabunt iustitiam eius: populo qui nascetur quem fecit.

PSALMVS XXIII.

Dominus pascit me, nihil mihi deerit. In pascuis herbarum acclinavit me: super aquas refectiois enutrit me. Animam meam refecit: duxit me per semitas iustitiæ propter nomen suum. Sed & stambulauero in valle umbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es: virga tua & baculus tuus, ipsa consolabuntur me. Pones coram me mensam ex aduerso hostium meorum: impinguaui in oleo caput meum, & calix meus inebrians. Sed & benignitas & misericordia subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ: & habitabo in domo domini, in longitudine dierum.

PSALMVS XXIV.

Domini est terra & plenitudo eius: orbis & habitatores. Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina stabiluit illum. Quis ascendit in montem domini: & quis stabit in loco sancto eius. Innocens manibus & mundo corde: qui non exaltauit frustra animam suam, & non iurauit dolose. Accipiet benedictionem à domino salutari suo. Hæc est generatio querentium eum, querentium faciem tuam Iacob semper. Leuate portæ capita vestra: & erigimini ianue sempiternæ, & ingredietur rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ, dominus fortis & potens: dominus potens in prælio. Leuate portæ capita vestra: & erigimini ianue sempiternæ, & ingredietur rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ, dominus exercituum: ipse est rex gloriæ semper.

PSALMVS XXV.

Ad te domine animam meam leuabo. Deus meus in te confisus sum, non confundar: ne latentur inimici mihi. Sed vniuersi qui sperant in te non confundentur: confundantur, qui iniqua gerunt frustra. Vias tuas domine ostende mihi, & semitas tuas doce me. Deduce me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus saluator meus, te expectaui tota die. Recordare misericordiarum tuarum domine, & misericordiarum adolescentiæ meæ, & scelerum meorum ne memineris: secundum misericordiam tuam recordare mei tu, propter bonitatem tuam domine. Bonus & rectus dominus: propterea docebit peccatores in via. Deducet mansuetos in iudicio, & docebit modestos viam suam. Omnes semite domini misericordia & veritas: his qui custodiunt preceptum eius, & testificationes eius. Propter nomen tuum domine propitiare iniquitati meæ, quoniam grandis est. Quis est iste vir timens dominum: quem docebit in via quem elegit. Anima eius in bono commorabitur, & seminem eius hæreditabit terram. Secretum domini timetibus eum, & pactum suum ostendet eis. Oculi mei semper

A per ad dominū : quia ipse educet de reti pedes meos. Respice in me & miserere mei : quoniam solus & pauper sum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt : de angustijs meis educ me. Vide humilitatem meam & laborem meum, & porta omnia peccata mea. Vide inimicos meos, quia multiplicati sunt : & odio iniquo oderunt me. Custodi animam meam & libera me : non confundar quoniam speravi in te. Simplicitas & æquitas seruantur me : quia expectavi te. Redime Deus Israel, ex omnibus angustijs suis.

David. PSALMVS XXVI.

Iudica me Deus, quoniam ego in simplicitate mea ambulavi : & in domino confidens non deficiam. Proba me domine & tenta me : ut renes meos & cor meum. Quia misericordia tua in conspectu oculorum meorum est, & ambulabo in veritate tua. Non sedi cum viris vanitatis, & cum superbis non ingrediar. Odiui ecclesiam pessimorum, & cum iniquis non sedebam. Lauabo in innocentia manus meas, & circumibo altare tuum domine. Ut audiam vocem laudis, & enarrem omnia mirabilia tua. Domine dilexi habitaculum domus tuae, & locum tabernaculi gloriae tuae. Ne auferas cum peccatoribus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam. In quorum manibus scelus est, & dextera eorum repleta est muneribus. Ego autem in simplicitate mea gradiar, redime me & miserere mei. Pes meus stetit in recto : in ecclesijs benedicam domino.

David. PSALMVS XXVII.

Dominus lux mea, & salutare meum, quem timebo : dominus fortitudo vitae meae quem formidabo. Dum appropinquarent mihi maligni ut comederent carnem meam : hostes mei inimici mei, ipsi impeerunt & ceciderunt. Si steterint aduersus me castra, non timebit cor meum : si surrexerit contra me bellum, in hoc ego confidam. Vnum petiui a domino hoc requiram, ut habitem in domo domini omnibus diebus vitae meae : ut videam pulchritudinem domini, & attendam templum eius. Abscondit enim me in umbra sua in die pessima, abscondet me in seculo tabernaculi sui, in petra exaltabit me. Nunc quoque exaltauit caput meum super inimicos meos qui sunt in circuitu meo, & immolabo in tabernaculo eius hostias iubilii : cantabo & psallam domino. Audi domine vocem meam inuocantis, miserere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum, quia fuit vultus meus : faciem tuam domine requiram. Ne abscondas faciem tuam a me, ne declines in furore tuo a seruo tuo, auxilium meum fuisti : ne derelinquas me, & ne dimittas me Deus saluator meus. Pater enim meus & mater mea dereliquerunt me : dominus autem collegit me. Ostende mihi domine viam tuam, & deduc me in semitam rectam : propter insidiatores meos. Ne tradas me animam tribulantium me : quoniam surrexerunt contra me testes falsi & apertum mendacium. Ego autem credo quod videam bona domini in terra viuacium. Expecta dominum, confortare, & roboretur cor tuum, & sustine dominum.

David. PSALMVS XXVIII.

Ad te domine clamabo fortis meus, ne obfuscas mihi : ne forte tacente te mihi comparer his qui descendent in lacum. Audi vocem deprecationis meae cum clamaero ad te, cum leuaero manus meas ad oraculum sanctum tuum. Ne tradas me cum impijs & cum operantibus iniquitatem, qui loquuntur pacem cum amicis suis : & est malum in corde eorum. Da eis secundum opus suum, & secundum malum adinventionum suarum, iuxta opus manuum suarum da eis : redde retributionem suam illis. Quoniam non intelligunt opera domini, & opus manuum eius : destrues eos & non aedificabis : be-

nedictus dominus quoniam audiuit vocem deprecationis meae. Dominus fortitudo mea & securum meum, in ipso confisus est cor meum, & habui adiutorium : gaudium est cor meum, & in cantico meo confitebor illi. Dominus fortitudo mea : & robor salutarium Christi sui est. Salua populum tuum & benedic hereditati tuae : & pasce eos & subleua eos usque in sempiternum.

David. PSALMVS XXIX.

Afferte domino filios arietum : afferte domino gloriam & imperium. Afferte domino gloriam nomini eius : adorare dominum in decore sancto. Vox domini super aquas, Deus gloriae intonuit : dominus super aquas multas. Vox domini in fortitudine : vox domini in decore. Vox domini confringentis cedros : & confringet dominus cedros libani. Et disperget eas quasi vitulus : libanus & sarion quasi filius rhinocerotis. Vox domini diuidens flammam ignis. Vox domini parturire faciens desertum : parturire faciet dominus desertum Cades. Vox domini obstetricans cervis, & reuelans saltus, & in templo eius omnis loquetur gloriae. Dominus diluuium inhabitat : & sedebit dominus rex in aeternum. Dominus fortitudinem populo suo dabit : dominus benedicet populo suo in pace.

¶ Psalmus cantici ad dedicationem domus David.

PSALMVS XXX.

Exaltabo te domine quoniam saluasti me : & non dilatasti inimicos meos super me. Domine Deus meus, clamaui ad te & sanasti me. Domine eduxisti ex inferno animam meam : viuificasti me, ne descenderem in lacum. Cantate domino sancti eius : & confitemini memoriae sanctitatis eius. Quoniam ad momentum est ira eius, & vita in reprobatione eius : ad vesperum commorabitur fletus, & in matutino laus. Ego autem dixi in abundantia mea, non mouebo in sempiternum. Domine in voluntate tua posuisti monti meo fortitudinem : abscondisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. Ad dominum clamabo, & dominum deprecabor. Quae est utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem : nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam : Audi domine & miserere mei : domine esto adiutor. Conuertisti planctum meum in chorum mihi : soluisti saccum meum, & accinxisti me letitia. Ut laudet te gloria & non taceat, domine Deus meus in sempiternum confitebor tibi.

¶ Victori psalmus David.

PSALMVS XXXI.

In te domine speravi, non confundar in aeternum : in iustitia tua salua me. Inclina ad me aurem tuam velociter, libera me : esto mihi in lapide fortissimum, & in domum munitam ut salues me. Quia petra mea & munitio mea tu es : & propter nomen tuum dux meus eris & enutries me. Educes me de rete quod absconderunt mihi : quia tu fortitudo mea es. In manu tua commendabo spiritum meum : redemisti me domine Deus veritatis. Odisti custodientes vanitates frustra : ego autem in domino confisus sum. Exultabo & letabor in misericordia tua, quia vidisti afflictionem meam : cognouisti tribulationes animae meae. Et non conclusisti me in manu inimici : statuisti in latitudine pedes meos. Miserere mei domine quoniam tribulor, caligauit in furore oculus meus : anima mea & venter meus. Quia consumptae sunt in mœrore vitae meae, & anni mei in gemitu, infirmata est in iniquitate virtus mea : & ossa mea contabuerunt. Apud omnes hostes meos factus sum opprobrium, & vicinis meis nimis, & timor notis meis : qui videbant me in plateis, fugiebant a me. Oblivioni traditus sum quasi mortuus a corde : factus sum quasi

Evas perditum. Audini enim opprobriū multorū, congregatiōe in circuitu, dum inirent consiliū aduersū me: & ut auferret animā meā cogitauerūt. Ego autē in te speraui domine: dixi Deus meus es tu. In manu tua tempora mea: libera me de manu inimicorum meorū, & persequentium me. Ostende faciem tuā super seruum tuū: salua me in misericordia tua. Domine ne confundar, quoniam inuocaui te: confundantur impij, taceant in inferno. Muta fiant labia mendacij: quæ loquuntur contra iustū tuorū, in superbia & despectione. Quam multa est bonitas tuā q̄ abscondisti timētibus te, operatus es sperantibus in te: in conspectu filiorū hominū. Abscondes eos in protectione vultus tui, a duritia viri: abscondes eos in umbra, a contradictione linguarū. Benedictus dominus: quoniam mirabilem fecit misericordiam suam mihi, in ciuitate munita. Ego autē dixi in stupore meo: proiectus sum de conspectu oculorū tuorū. Ergone audisti vocem deprecationis meæ: cum clamarē ad te. Diligite dominum oēs sancti eius, fideles seruat dominus: & retribuet his q̄ satis operantur superbiā. Confortamini & roboretur cor vestrū: omnes qui expectatis dominū.

¶ *David eruditio.*

PSALMVS XXXII.

Beatus cui dimissa est iniquitas, & absconditum est peccatum. Beatus homo cui nō impurauit dominus iniquitatem: nec est in spiritu eius dolus. Quia tacui attrita sunt ossa mea: in rugitu meo tota die. Die n. & nocte grauaui super me manus tua: versatus sum in miseria mea, cū exardeceret estus iugiter. Peccatum meum notū faciā tibi: & iniquitatē meam nō abscondi. Dixi, confitebor scelus meū domino: & tu misisti iniquitatē peccati mei. Pro hac orabit omnis misericors ad te: rēpus inueniēs, vt cū inundaerint a que multa, ad illū nō accedant. Tu es protectio mea, ab hoste custodies me, laus mea salua: circūdabis me semper. Docebo te, & monstrabo tibi viā per quā ambules: cogitabo de te oculo meo. Nolite fieri sicut eq̄ & mulus quib⁹ nō est intelligētia: in campo & freno maxillas eorū constringe, qui nō accedunt ad te. Multi dolores impij: cōfidentem autē in domino misericordia circūdabit. Latamini in domino & exultate iusti: & laudate eum omnes recti corde.

PSALMVS XXXIII.

Laudate iusti dominū: rectos decet laudatio. Confitemini domino in cithara: in psalterio de chordo cantate ei. Cantate ei canticū nouū: diligenter psallite in iubilo. Quoniam rectū est verbum domini: & omne opus eius in fide. Diligit iustitiā & iudicium: misericordia domini plena est terra. Verbo domini celi firmati sunt: & spiritu oris eius omnis ornatus eorū. Congregans quasi in vtre aquas maris: ponens in thesauris abyssos. Timeat dominum omnis terra: ipsum formident vniuersi habitatores orbis. Quia ipse dixit & factus est: ipso precipiente stetit. Dominus dissoluit consiliū gentium: irritas facit cogitationes populorū. Consilium domini in æternum stabit: cogitationes cordis eius in generatione & generatione. Beata gens cuius dominus Deus eius: populus quem elegit in hæreditatem sibi. De cælo respexit dominus: vidit oēs filios Adam. De firmissimo folio suo perspexit ad vniuersos habitatores terræ. Fingens pariter cor eorū: intelligēs omnia opera eorum. Non saluatur rex in multitudine exercitus: nec fortis liberabitur in multitudine virtutis. Fallax equus ad salutē: & in multitudine virtutis suæ nō saluabit. Ecce oculus domini super timentes eū: ad ex-

pectantes misericordiā eius. Ut eruat de morte animas eorū, & viuificet eos in fame. Anima nostra expectauit dominū: auxiliū nostrum & clypeus noster est. In ipso. n. letabitur cor nostrum, quia in nomine sancto eius sperauimus. Fiat misericordia tua dñe super nos, sicut expectauimus in te. Dauid quādo commutauit os suū corā Abimelech, & eiecit eū, & abijt.

PSALMVS XXXIV.

Benedicam dominum in omni tempore: semper laus ei⁹ in ore meo. In domino laudabitur anima mea: audient mites & lætentur. Magnificare dominū mecum, & exaltemus nomen eius pariter. Quasiui dominum, & exaudiuit me: & de omnibus angustijs meis liberauit me. Aspicite ad eum & cōfluite, & vultus vestri nō confundentur. Hic pauper clamauit, & dominus exaudiuit: & de omnibus tribulationibus eius saluaui eū. Circundat angelus domini in gyro timentes eum, & eruet eos. Gustate & videte, quoniā bonus dominus: beatus vir qui sperat in eo. Timeat dominum sancti eius: quoniam nō est inopia timentibus eum. Leones indigerunt & esurierūt: quærentibus autē dominum, non deerit omne bonum. Venite filij audite me, timorē domini docebo vos. Quis est vir qui velit vitam, diligens dies videre bonos. Custodi linguam tuam a malo: & labia tua ne loquantur dolum. Recede a malo, & fac bonum: quare pacem, & persequere eum. Oculi domini ad iustos, & aures eius ad clamores eorū. Vultus domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorū. Clamauerunt & dominus exaudiuit, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos. Iuxta est dominus contritis corde, & contractos spiritu saluabit. Multa tribulationes iusti, & ex omnibus illis liberabit eum dominus. Custodit omnia ossa eius: vnū ex eis non cōfringetur. Interficiet impium malitia, & odientes iustū culpabuntur. Redimet dominus animas seruorum suorū, & non peccabunt omnes sperantes in eo.

¶ *David.* PSALMVS XXXV.

Iudica domine aduersarios meos: pugna cōtra impugnates me. Apprehende scutum & hastam, & conserge in auxilium meum. Euagina gladium, & præoccupa ex aduerso persequentem me: dicit animæ meæ, salus tua ego sum. Confundantur & reuertantur, qui quærunt animam meā. Conuertantur retrorsum & confundantur, qui cogitant malum mihi. Fiant sicut puluis ante faciē venti, & angelus domini impellat. Sit via eorū tenebræ & lubricum, & angelus domini persequatur eos. Quia frustra absconderunt mihi insidias retis sui: sine causa foderunt animæ meæ. Veniat ei calamitas quam ignorat, & rete suū quod abscondit comprehendat eum, & cadat in laqueū. Anima autem mea exultabit in domino, & letabitur in salute sua. Omnia ossa mea dicent, domine quis similis tui: eripiēs in opem a validiore, & pauperē & mendicū a violento. Surgentes testes iniqui: quæ nesciebā interrogabāt me. Reddebant mihi mala pro bono: sterilitatem animæ meæ. Ego autem cum infirmarer ab eis induebar cilicio: humiliabam in ieiunio animam meā, & oratio mea in sinum meū reuertetur. Quasi ad amicū, quasi ad fratrem meū sic ambulabā: quasi lugens mater tristis incuruabar. Et in infirmitate mea lætabantur & cōgregabantur: collecti sunt aduersum me percutientes, & nesciebā: scindentes & non tacētes. In simulatione verborum fictorū, frendebant cōtra me dentibus suis. Domine quanta aspicias, conuerte animā meā a calamitatibus suis: a leo-

HON
7.8.

A nibus solitariam meam. Confitebor tibi in ecclesia grandi: in populo forti laudabo te. Non latentur super me inimici mei mendaces: odientes me frustra conuientes oculo. Non enim pacē loquuntur, sed in rapina terre verba fraudulenta concinnant. Et dilatauerunt super me os suū, dixerunt vah vah: vidit oculus noster. Vidisti domine ne taceas: domine ne elongeris à me. Confurge & vigila in iudiciū meum: Deus meus & dominus meus in causam meā. Iudica me secundum iustitiā tuam domine Deus meus: & ne insultent mihi. Nec dicant in corde suo, vah animā nostrā: nec dicant, absorbuimus eum. Confundantur & reuereantur pariter qui latentur in afflictione mea, induantur confusione & verecundia, qui magnificantur super me. Laudent & lætentur qui volunt iustitiam meā: & dicant semper magnificetur dominus, qui vult pacem serui sui. Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam: tota die laudem tuam.

§ Pro victoria seruo domini David.

PSALMVS XXXVI.

Dixit scelus impij in medio cordis eius: nō esse timorē Dei ante oculos eius. Quia dolose egit aduersus eum in oculis suis: vt inueniret iniquitatē eius ad odiendū. Verba oris eius iniquitas & dolus: cessauit cogitare benefacere. Iniquitatem cogitat in cubili suo, stabit in via non bona: malum non abiicit. Domine in celo misericordia tua: fides tua vīq; ad nubes. Iustitia tua quasi montes domine, iudicia tua abyssus multa: hominem & iumentum saluos facies domine. Quā pretiosa est misericordia tua domine, & filij Adam in vmbra alarum tuarū sperabunt. Inebriabūtur de pinguedine domus tuæ, & torrente deliciarum tuarum potabis eos. Quoniam tecum est fons vitæ: in lumine tuo videbimus lumen. Attrahe misericordiam tuā scientibus te, & iustitiam tuā rectis corde. Non veniat mihi pes superbiæ: & manus impiorū ne me cōmoueat. Ibi ceciderunt operantes iniquitatē: expulsi sunt, & non potuerunt surgere.

David. PSALMVS XXXVII.

NOli contendere cum malignis: neque æmuleris facientes iniquitatē. Quoniam sicut herba velociter cōterentur, & sicut olus viride marcescent. Spera in domino, & fac bonum: peregrinare in terra, & pascere fide: & delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Volue super dominum viam tuā, & confide in eo, & ipse faciet. Et educet sicut lumen iustitiam tuā, & iudicium tuū sicut meridiem. Tace domino, expecta eum, noli cōterendere aduersus eum qui proficit in via sua: aduersum virum, qui facit quæ cogitat. Dimitte iram, & derelinque furorē: noli cōterendere vt malefacias. Quoniam qui malefaciūt, interibunt: expectantes autē dominum ipsi hæreditabunt terram. Adhuc enim modicum & non erit impius: & cogitabis de loco eius, & non subsistet. Mites autē hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Cogitat impius de iusto, & frendet aduersum eum dentibus suis. Dominus deridebit eum: videns quod veniat dies eius. Gladium euaginauerunt impij: intenderunt arcum suum, vt percutiant egenū & pauperē, & interficiāt rectos in via. Gladius eorum ingrediatur in cor eorū, & arcus eorum confringātur. Melius est parum iusto: quā diuitiæ peccatorum multe. Quoniam brachia impiorum confringentur: subleuatur autē iustos dominus. Nouit dominus dies immaculatorū, & hæreditas eorū æterna erit. Non confundentur in tempore malo, & in die-

bus famis saturabuntur. Quia impij peribunt, & inimici domini gloriantes vt monocerotes: cōsumentur, sicut fumus cōsumentur. Fœnus accipit impius, & non reddit: iustus autē & donat & tribuit. Quia qui benedicti fuerint ab eo, hæreditabunt terram: & qui maledicti, interibunt. A domino gressus viri firman- tur, & viam eius volet. Cum ceciderit non allide- tur: quia dominus sustentat manum eius. Puer sui, siquidem senui, & non vidi iustum derelictum: neq; semen eius quærens panem. Tota die donat, & com- modat: & semen eius in benedictione. Recede à malo, & fac bonū, & inhabita in sempiterno. Quia do- minus diligit iudiciū, & nō derelinquet sanctos suos: in æternum custoditi sunt, & semen impiorum peri- bit. Iusti hæreditabunt terram; & inhabitabūt in sæ- culum super eam. Os iusti meditabitur sapientiā, & lingua eius loquetur iudiciū. Lex Dei eius in corde eius: non deficiunt gressus eius. Considerat impius iustum, & quærit vt occidat eum. Dominus non de- relinquet eum in manu eius, & nō condēnabit eum cum iudicatur. Expecta dominū, & custodi viā eius, & exaltabit te vt possideas terram: cum interibunt impij videbis. Vidi impium robustum, & firmissimū sicut indigenam virentē. Et transiui, & ecce nō erat: & quæsiui eū, & non est inuentus. Custodi simplici- tatem, & vide rectum: quia erit ad extremū viro pax. Præuicacitores autē debentur pariter, & nouissimū impiorum peribit. Salus autem iustorum à domino: fortitudo eorum in tempore tribulationis. Et auxi- liabitur eis dominus, & liberabit eos: eruet eos ab im- pijs, & saluabit eos: quia sperauerunt in eo.

Canticum David in commemoratione.

PSALMVS XXXVIII.

Domine ne ira tua arguas me: neq; in furore tuo corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & tetigit me manus tua. Non est sanitas in carne mea à facie indignationis tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccati mei. Quoniam iniquitates meæ transierunt caput meū: quasi onus graue aggregatæ sunt super me. Computruerūt, & tabuerūt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Afflictus sum & incur- uatus sum nimis: rota die mœrens ambulauī. Quo- niam lumbi mei repleti sunt ignominia, & non est sanitas in carne mea. Euigilaui, & afflictus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei. Domine in conspectu tuo omne desiderii meū: & gemitus meus à te non est absconditus. Cor meum fluctuabat, dereliquit me fortitudo mea: & lux oculorū meorum etiam ipsa non est meū. Chari mei, & amici mei quasi contra lepram meā steterunt, & vicini mei longē ste- terunt. Et irruebant quærentes animam meā: & in- uestigantes mala mihi loquebantur insidias, & dolos tota die meditabantur. Ego autem quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum. Et eram quasi homo non audiens: nec habens in ore suo redargutiones. Te enim domine expectabam, tu exaudies domine Deus meus. Quia dixi ne fortē insultent mihi, & cū vacillauerint pedes mei super me magnificetur. Quia ego ad plagas paratus sum, & dolor meus cōtra me est semper. Quia iniquitatē meā annuntio: sollicitus ero pro peccato meo. Inimici autē mei viuētes confortati sunt, & multiplicati sunt odientes me mendaciter. Et qui reddunt malū pro bono, aduersabantur mihi: quia sequebar bonū. Ne derelinquas me domine: Deus meus ne elongeris à me. Festina in auxilium meum, domine salutis meæ.

§ Pro

¶ Pro victoria Idubun.

David. PSALMVS XXXIX.

Dixi custodiam vias meas ne peccem in lingua mea; custodiā os meū silentio, donec est impius contra me. Obmutui silentio, tacui de bono, & dolor meus conturbatus est. Incaluit cor meum in medio mei, in meditatione mea incensus sum igni: locutus sum in lingua mea. Ostende mihi domine finē meum, & mensuram dierum meorū, quę sit, vt sciam quid mihi desit. Ecce breues posuisti dies meos, & vita mea quasi non sit in conspectu tuo: omnia enim vanitas omnis homo stans semper. Tantū in imagine ambulat homo, tantum frustra conturbatur: cōgregat & ignorat cui dimittat ea. Nunc ergo quid expecto domine: preestolatio mea tu es. Ab omnibus iniquitatibus meis libera me: opprobrium stulto ne ponas me. Obmutui, non aperiam os meum: quia tu fecisti. Tolle à me plagas tuas: à contentione manus tuę ego consumptus sum. Increpationibus pro iniquitate corripuisti virum, & posuisti quasi tineam desiderabilia eius: veruntamen vanitas omnis homo semper. Audi orationem meam domine, & clamorem meum exaudi: ad lachrymam meam ne obfudesca, quia advena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei. Parce mihi vt rideam antequam vadam, & non subsistam.

¶ Pro victoria psalmus David.

PSALMVS XL.

Expectans expectaui dominum: & inclinatus est ad me, & audiuit clamorem meum. Et eduxit me de lacu sonitus, de luto cœni: & statuit super petram pedes meos, stabiluit gressus meos. Et dedit in ore meo canticum nouum, laudem Deo nostro. Videbunt multi & timebunt, & sperabunt in domino. Beatus vir qui posuit dominum confidentiam suam, & non est auersus ad superbias pompasque mendacij. Multa fecisti tu domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationes tuas pro nobis, non inuenio ordinem coram te: si narrare volucro & numerare, plura sunt quā vt narrari queant. Victimam & oblationem non voluisti, aures fodisti mihi: holocaustum & pro peccato non petisti. Tunc dixi, ecce ego venio: in volumine libri scriptum est de me. Vt facerem placitum tibi Deus meus volui, & legem meam in medio ventris mei. Annuntiaui iustitiam in ecclesia multa, ecce labia mea non prohibebo: domine tu nosti. Iustitiam tuam nō abscondi in medio cordis mei, fidem tuam & salutare tuum dixi: non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam in ecclesia multa. Tu domine nō prohibebis misericordias tuas à me: misericordia tua & veritas tua iugiter seruabunt me. Circumderunt enim me mala, quorū non est numerus, cōprehenderunt me iniquitates meę, & non potui videre: plures factę sunt, quā capilli capitis mei, & cor meū dereliquit me. Placeat tibi domine vt liberet me: domine ad adiuvandū me festina. Confundantur & reuerentur simul quęrentes animam meā vt auferant eam: conuertantur retrorsum & confundantur, qui volunt mala mihi. Pereant post cōfusionem suā, qui dicunt mihi vah vah. Gaudeant & lætentur in te omnes qui quęrunt te: dicant iugiter magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum. Ego autem sum egenus & pauper: dominus sollicitus erit pro me: auxilium meum & salutare meum tu es, Deus meus ne moreris.

Hieron. Tom. 7.

¶ Pro victoria psalmus David.

PSALMVS XLI.

Beatus qui cogitat de paupere: in die mala liberabit eum dominus. Dominus custodiet eum, & viuificabit eum: & beatus erit in terra, & non tradet eum animę inimicorum suorum. Dominus confortabit eum in lecto infirmitatis: totum stratum eius vertisti in egrotatione sua. Ego dixi; domine miserere mei: sana animam meam, quoniam peccauisti tibi. Inimici mei loquentur malum mihi: quando morietur & peribit nomen eius. Et si venerit vt visitet, vana loquetur cor eius: congregabit iniquitatem sibi, egrediens foras detrahet. Simul aduersum me murmurabant omnes odientes me: contra me cogitabāt malum mihi. Verbum diaboli infundebant sibi: qui dormiuit non addet vt resurgat. Sed & homo pacificus meus: in quo habui fiduciam: qui manducabat panem meum, leuauit contra me plantam. Et tu domine miserere mei & eleua me, & reddam eis. In hoc cognoui quōd velis me: quia non insultabit inimicus meus mihi. Ego autem in simplicitate mea adiutus sum à te, & statues me ante faciem tuam in perpetuum. Benedictus dominus Deus Israel à sæculo, & vsque in sæculum, Amen amen.

¶ Victori intellectus filijs Corę.

PSALMVS XLII.

Sicut areola preparata ad irrigationes aquarū: sic anima mea preparata ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciē Dei. Fuerunt mihi lacrymę meę panes per diem & noctem: cum diceretur mihi tota die, vbi est Deus tuus. Horum recordatus sum, & effudi in me animam meam: quia veniam ad vmbra-culum, tacebo vsq; ad domum Dei in voce laudis & confessionis, multitudinis festa celebrantis. Quare incuruaris anima mea, & conturbas me: expecta Deū quia adhuc confitebor ei, salutaribus vultus eius. Deus meus in me ipso anima mea incuruatur: propterea recordabor tui de terra Iordanis, & Chermōnim de monte minimo. Abyssus abyssum vocat, in voce cataractarum tuarum: omnes gurgites tui & fluctus tui super me transferunt. Per diem mandauit dominus misericordiam suam, & nocte canticū eius mecum: oratio Deo vitę meę. Dicam Deo petra mea, quare oblitus es mei: quare tristis incedo affligente inimico: Dum me interficerēt in ossibus meis, exprobrauerunt mihi hostes mei: dicentes tota die vbi est Deus tuus? Quare incuruaris anima mea, & conturbas me: expecta dominum, quoniam adhuc confitebor ei: salutaribus vultus mei & Deo meo.

PSALMVS XLIII.

Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta: à viro iniquo & doloso salua me. Tu enim Deus fortitudo mea, quare proiecisti me: quare tristis incedo affligente inimico? Mitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa ducant me, & introducent me ad montem sanctum tuū, & in tabernaculum tuum. Et introibo ad altare Dei, ad Deum lætitię & exultationis meę, & confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus. Quare incuruaris anima mea, & quare conturbas me: expecta dominum, quoniam adhuc confitebor ei: salutaribus vultus mei & Deo meo.

N 4

¶ Pro

A

PSALMVS XLIV.

¶ Pro victoria filijs Core eruditio.

DEus auribus nostris audiuius : patres nostri narrauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. Tu manu tua gentes delesti & plantasti eos : afflixisti populos, & emisisti eos. Non enim in gladio suo possederunt terram, neque brachium eorum salutauit eos : sed dextera tua & brachium tuum & lux vultus tui, quia complacuit tuis. Tu es ipse rex, Deus meus : precepe pro salutibus Iacob. In te hostes nostros ventilabimus : in nomine tuo conculcabitur aduersarios nostros. Non enim in arcu meo confidam : neque gladius meus saluabit me. Quia saluasti nos de hostibus nostris, & eos qui oderunt nos confundisti. In domino gaudebimus tota die, & nomini tuo in aeternum confitebimur, semper. Verum tu proiecisti, & confundisti nos : & non egredieris in exercitibus nostris. Vertisti terga nostra hosti : & qui oderunt nos, diripuerunt sibi. Dedisti nos quasi gregem ad vorandum, & in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio : nec grandis fuit commutatio eorum. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris : subannationem & irrisum his qui erant in circuitu nostro. Posuisti nos similitudinem in gentibus, commotionem capitis in tribubus. Tota die confusio mea contra me, & ignominia faciei meae cooperuit me. A voce exprobrantis & blasphemantis : a facie inimici & vltoris. Omnia haec venerunt super nos, & oblii non fumus tui : nec mentiti sumus in pacto tuo. Non est conuersum retro cor nostrum : nec declinauerunt gressus nostri a semita tua. Quoniam deiecisti nos in loco draconum, & operuisti nos umbra mortis. Si oblii sumus nominis Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum. Nunquid non Deus inuestigabit istud ? ipse enim nouit cogitationes cordis. Quoniam propter te mortificati sumus tota die : reputati sumus vt grex occisionis. Consurge quare dormitas domine : euigila quare proijcis nos in sempernum. Quare faciem tuam abscondis : obliuisceris afflictiones & angustias nostras. Quoniam incuruata est in puluere anima nostra : adhæsit terræ venter noster. Surge auxiliare nobis, & redime nos propter misericordiam tuam.

¶ Victorii pro filijs satorum Core, eruditionis canticum amantissimi.

PSALMVS XLV.

ERUCTAUIT cor meum verbum bonum ; dico ego opera mea regi : lingua mea stilus scribe velocis. Decore pulchrior es filijs hominum, effusa est gratia in labijs tuis : propterea benedixit tibi Deus in aeternum. Accingere gladio tuo super femur fortissime : gloria tua & decore tuo. Et decore tuo prospere ascende, propter verbum veritatis & mansuetudine iustitiæ, & docebit te terribilia dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent : in corda inimicorum regis. Thronus tuus Deus in seculum, & in aeternum : sceptrum æquitatis, sceptrum regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem : propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Myrrha & lacte & casta in cunctis vestimentis tuis, de domibus eburneis quibus lactificauerunt te. Filia regum in honore tuo : sterit coniunx in dextera tua, in diademate aureo. Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populi tui & domus patris tui. Et concupiscent rex decorem tuum : quia ipse est dominus Deus tuus, & adora eum. Et filia fortis in

muneribus : faciem tuam deprecabuntur diuites populi. Omnis gloria filia regis intrinsecus : fascijs aureis vestita est. In securulatis ducetur ad regem, virgines sequentur eam amicae eius : ducentur illuc. Ducentur in lætitijs & exultatione : ingredientur thalamum regis. Pro patribus tuis erunt filij tui : pones eos principes in vniuersa terra. Recordabor nominis tui in omni generatione & generatione : propterea populi confitebuntur tibi in seculum & in aeternum.

¶ Victorii filiorum Core pro inuentibus canticum.

PSALMVS XLVI.

DEUS nostra spes & fortitudo : auxilium in tribulationibus inuentus es validum. Ideo non timebimus cum fuerit translata terra, & conculsi montes in corde maris. Sonantibus & intumescens gurgitibus eius, & agitatibus montibus in potentia eius semper. Fluminis diuisiones lætificant ciuitatem Dei : sanctum tabernaculum altissimi. Deus in medio eius non commouebitur : auxiliabitur ei Deus in ipso ortu matutino. Conturbatae sunt gentes, conculsa sunt regna : dedit vocem suam, prostrata est terra. Dominus exercituum nobiscum : protector noster Deus Iacob semper. Venite & videte opera domini : quantas posuerit solitudines in terra. Compescuit bella vsque ad extremum terræ, arcum confringet & concidet hastam : plaustra comburent igni. Cessate & cognoscite quoniam ego Deus : exaltabor in gentibus, exaltabor in terra. Dominus exercituum nobiscum : fortitudo nostra Deus Iacob semper.

¶ Victorii filiorum Core.

PSALMVS XLVII.

OMNES populi plaudite manibus : iubilate Deo in voce laudis. Quoniam dominus altissimus terribilis : rex magnus super omnem terram. Congregauit populos subter nos, & tribus sub pedibus nostris. Elegit nobis hereditatem nostram : gloriam Iacob quam dilexit semper. Ascendit Deus in iubilo : dominus in voce buccinae. Canite Deo canite regi nostro canite. Quia rex vniuersæ terræ Deus : canite erudite. Regnauit Deus super gentes : Deus sedet super thronum sanctum suum. Principes populorum congregati sunt populus Dei Abraham : quoniam dij scuta terræ vehementer eleuati sunt.

¶ Canticum psalmi filiorum Core.

PSALMVS XLVIII.

MAGNUS dominus & laudabilis nimis : in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Specioso germine gaudio vniuersæ terræ, monte Sion lateribus aquilonis ciuitatula regis magni Deus in domibus eius : agnitus est in auxiliando. Quia ecce reges congregati sunt : venerunt simul. Ipsi videntes sic obstupuerunt : conturbati sunt, admirati sunt. Horror possedit eos ibi : dolor quasi parturientis. In vento vredinis : confringes naues Tharsis. Sicut audiuius, ita vidimus in ciuitate Dei exercituum, in ciuitate Dei nostri : Deus fundauit eam vsque in aeternum semper. Aestimauimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. Secundum nomen tuum Deus, sic laus tua vsque ad extremum terræ : iustitia repleta est dextera tua. Lætetur mons Sion, exultent filia Iudæ : propter iudicia tua. Circundate Sion & circuite eam, numerate turres eius. Ponite cor vestrum in moenibus eius : separate palatia eius, vt enarretis in generatione nouissima. Quia ipse est Deus Deus noster in seculum, & in perpetuum : ipse erit dux noster in morte.

¶ Victo-

¶ *Victori filiorum Core Psalmus.*
PSALMVS XLIX.

Avdite hæc oēs populi: auribus percipite vniuersi habitatores occidentis. Tā filij Adam, quā filij singulorum: simul diues & pauper. Os meū loquetur sapientias, & meditatio cordis mei prudentias. Inclino ad parabolā aurē meā: aperiā in cithara enigma meum. Quare timebo in diebus mali: iniquitas calcanei mei circūdabit me. Qui fiduciā habent in fortitudine sua, & in multitudine diuitiarū suarū superbiūt. Fratrem redimens non redimet vir: nec dabit Deo propitiationē pro eo. Neq; pretiū redēptionis animæ corū: sed quiescit in sacula. Et viuet vltra in sempiternū, & non videbit interitū. Cū viderit sapientes morientes: simul insipientes & indoctus peribunt, & derelinquent alienis diuitias suas. Interiora sua domus suas in saculo, tabernacula sua in generatione & generatione: vocauerunt nominibus suis suas. Et homo in honore non commorabitur: & similatus est iumentis, & exaquatus est. Hæc est via insipientiū eorum, & post eos iuxta os eorum currēt semper. Quasi grex in inferno positi sunt: mors pascet eos, & subiciet eos recti in matutino, & figura eorum conteretur in inferno post habitaculum suum. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferni: cum assumpserit me semper. Noli timere cum ditatus fuerit vir: cum multiplicata fuerit gloria domus eius. Neq; enim moriens tollet omnia: nec descendet post eum gloria eius. Quia animæ suæ in vita sua benedicet: laudabunt te cum benefeceris tibi. Intrabit vsque ad generationem patrum suorum: vsq; ad finem non videbunt lucem. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis, & silebitur.

¶ *Psalmus Asaph.*
PSALMVS L.

Fortis Deus dominus locutus est, & vocauit terrā: ab ortu solis vsque ad occasum eius. De Sion perfecto decore Deus apparuit. Veniet Deus noster, & non tacebit: ignis coram eo vorabit, & in circuitu eius tempestas valida. Vocabit cœlum de sursum, & terram vt iudicet populum suum. Congregate mihi sanctos meos: qui seruiunt pactum meum in sacrificio. Et annuntiabunt cœli iustitiam eius: quia Deus iudex est semper. Audi popule meus & loquar, Israël & testificabor in te: Deus Deus tuus ego sum. Non propter victimas tuas arguam te, & holocaustomata tua coram me sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulum: neque de gregibus tuis hircos. Mea sunt enim omnia animalia sylvarum: pecudes in montibus millium. Scio omnes aues montium, & vniuersitas agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis & plenitudo eius. Nunquid comedam carnem taurorum: aut sanguinem hircorum bibam? Immola Deo laudem, & redde altissimo vota tua. Et inuoca me in die tribulationis: liberabo te, & glorificabis me. Impio autem dixit Deus: quid tibi est cum enarratione præceptorum meorum, vt assumas pactum meum in ore tuo? Qui odisti disciplinam, & proiecisti verba mea post te. Si videbas furem, consentiebas ei: & cum adulteris erat pars tua. Ostium dimisisti ad malitiam, & lingua tua non concinnauit dolum. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuę fabricabar is opprobrium. Hæc fecisti, & tacui: existimasti me futurum similem tui: arguam te, & proponam te ante oculos tuos. Intelligite hoc qui obliuiscimini Deum: ne forte ca-

piam, & non sit qui liberet. Qui immolat confessionem, glorificat me: & qui ordinat viam, ostendam ei salutarem Dei.

¶ *Victori canticum David: quando venit ad eum Nathan propheta, quando ingressus est ad Bethsabee.*
PSALMVS LI.

Miserere mei Deus, secundum misericordiam tuam: iuxta multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas. Multum laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitates meas ego cognoui, & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccaui & malum coram te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cū iudicaberis. Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato peperit me mater mea. Ecce enim veritatem diligis, absconditum & arcanum sapientiæ tuę manifestasti mihi. Asperges me hyssopo & mundabor: lauabis me & super niuem dealbabor. Auditum mihi facies gaudium & lætitiā, & exultent ossa quę confregisti. Absconde faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum creauit mihi Deus, & spiritum stabilem renouauit in visceribus meis. Ne proiecias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiā Iesu tui, & spiritu potenti confirma me. Docebo iniquos vias tuas, & peccatores ad te conuertentur. Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ: laudabit lingua mea iustitiam tuam. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Non enim vis vt victimam feriam: nec holocaustum tibi placet. Sacrificium Dei spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies. Benignè fac in voluntate tua Sion, & adificentur muri Hierusalem. Tunc suscipies sacrificium iustitię, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

¶ *Victori eruditio David, cum venit Doeg Idumeus & annuntiavit Saul, & dixit ei: venit David in domum Achimelech.*

PSALMVS LII.

Quid gloriaris in malitia potens: misericordia Dei tota die. Insidias cogitauit lingua tua: quasi nouacula acuta faciens dolum. Dilexisti malum magis quā bonum: mendacium magis quā loqui iustitiam semper. Dilexisti omnia verba ad deuorandum linguam dolosam. Sed Deus destruet te, in sempiternum terreat te: & euellet de tabernaculo, & eradicabit te de terra viuentium semper. Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt. Ecce vir qui non posuit Deum fortitudinem suam: sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: confortatus est in insidijs suis. Ego autem sicut oliua virens in domo Dei: speraui in misericordia Dei in saculum sempiternum. Confitebor tibi in saculum, quoniam fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum.

¶ *Victori per chorum eruditio David.*

PSALMVS LIII.

Dixit stultus in corde suo, non est Deus: corrupti sunt & abominabiles facti sunt iniquitate, non est qui faciat bonum. Deus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videret si esset intelligens requirens Deum. Omnes auersi sunt, pariter adhæserunt: non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum. Nunquid non cognouerunt qui operantur iniquitatem, qui comedunt populum meum vt cibum panis: Deum non inuocauerunt. Ibi timuerunt timore

A vbi non est timor : quoniam Deus disperfit ossa circumdantium te : confunderis quia Deus proiecit eos. Quis dabit ex Siō salutare Israēl : cum reduxerit Deus captiuitatem populi sui exultabit Iacob, latibitur Israēl.

¶ *Victori in psalmis eruditio David: quando venerunt Ziphei & dixerunt Saul: nonne David absconditus est apud nos?*

PSALMVS LIV.

Deus in nomine tuo salua me, & in fortitudine tua vlticere me. Deus exaudi orationem meā: auribus percipe verba oris mei. Quia alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quaesierunt animam meam: & non proposuerunt Deum in conspectu suo semper. Ecce Deus auxiliabitur mihi: dominus sustentans animam meam. Redde malum insidiatoribus meis: in veritate tua disperde eos. Voluntarie sacrificabo tibi: confitebor nomini tuo domine, quoniam bonum est. Quoniam ex omni tribulatione liberauit me, & inimicos meos vidit oculus meus.

¶ *Victori in psalmis eruditio David.*

PSALMVS LV.

Exaudi Deus orationem meam, & ne despicias deprecationem meam. Attende mihi & exaudi me: humiliatus sum in meditatione mea & conturbatus. A voce inimici, à facie persequentis impij: quoniam proiecerunt super me iniquitatem, & in furore aduersabatur mihi. Cor meum doluit in vitalibus meis: & terrores mortis ceciderunt super me. Timor & tremor venit super me, & operuit me caligo. Et dixi, quis dabit mihi pennas columbae, vt volem & requiescam. Vt procul abeam, & commorer in deserto semper. Festinabo vt saluer à spiritu tempestatis & turbinis. Præcipita domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Die & nocte circumeuntes muros eius: scelus & dolor in medio eius. Insidiæ in vitalibus eius, & non recedit de plateis eius damnum & fraudulentia. Non enim inimicus exprobrauit mihi vt sustineam: neque is qui oderat, super me magnificatus est, vt abscondar ab eo. Sed tu homo inanimis meus, dux meus, & notus meus. Qui simul habuimus dulce secretum, in domo Dei ambulauimus in terrore. Veniat mors super eos, descendant in infernum viuentes: quia nequitia in congregatione eorum, & in medio eorum. Ego ad dominum clamabo, & dominus saluabit me. Vespere & mane & meridie loquar & resonabo, & exaudiet vocem meam. Redimet in pace animam meam, ab appropinquatibus mihi: multi enim fuerunt aduersum me. Exaudiet Deus & humiliabit eos, qui index est ab initio semper: non enim mutantur, neque timent Deum. Extendit manum suam ad pacifica: contaminabit pactum suum. Nitidius butyro os eius: pugnat autem cor illius, molliores sermones eius oleo, cum sint lanceæ. Projice super dominum charitatem tuam, & ipse enutriet te: non dabit in æternum fluctuationem iusto. Tu autem Deus deduces eos in puteum interitus: viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem fiduciam habeo tui.

¶ *Victori pro columba muta, eo quod procul abierit David humilis & simplex, quando tenuerunt eum allophyli in Geth.*

PSALMVS LVI.

Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die pugnans tribulauit me. Conculcauerunt me insidiatores mei tota die: multi enim

qui pugnant contra me altissime. Quacunq; die teritus fuero, ego in te confidam. In Deo laudabo verbum eius, in Deo speraui: non timebo, quid faciat caro mihi. Tota die sermonibus me affligebant: contra me omnes cogitationes eorum in malum. Congregabuntur abscondite, plantas meas obseruabunt: expectantes animam meam. Quia nullus est saluus in eis: in furore populos detrahet Deus. Secretiora mea numerasti, pone lacrymam meam in conspectu tuo: sed non in narratione tua. Tunc conuertentur inimici mei retrorsum, in quacunq; die inuocauero: hoc scio quia Deus meus es. In Deo laudabo verbum: in domino prædicabo sermonem. In Deo speraui: non timebo, quid faciat homo mihi. In me sunt Deus vota tua: reddam gratiarum actiones tibi. Quia eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: vt ambulem coram Deo, in lumine viuētium.

¶ *Victori vt non desperas David humilem & simplicem, quando fugit à facie Saul in speluncam.*

PSALMVS LVII.

Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te speraui anima mea, in vmbra alarum tuarum sperabo: donec transcant insidiæ. Inuocabo Deum altissimum: Deum vltorem meum. Mittet de celo & saluabit me, exprobrabit conculcantibus me semper: mittet Deus misericordiam suam & veritatem suam. Anima mea in medio leonum dormiuit ferocientiu: filij hominum dentes eorum lanceæ & sagitte, & lingua eorum gladius acutus. Exaltare super celos Deus: in omnia terra gloria tua. Rete parauerunt gressibus meis, ad incuruandum animam meam: foderunt ante me foueam, ceciderunt in medium eius semper. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & psallam. Surge gloria mea, surge psalterium & cithara: surgam mane. Confitebor tibi in populis domine: cantabo tibi in gentibus. Quia magna vis que ad nubes veritas tua. Exaltare super caelos Deus: in omni terra gloria tua.

¶ *Victori vt non desperas David humilem ac simplicem.*

PSALMVS LVIII.

Si verè vtique iustitiam loquimini: recta iudicate filij hominum. Etenim in corde iniquitates operamini in terra: iniquitates manus vestrae appendunt. Alienati sunt peccatores à vultu: errauerunt ab vtero loquentes mendacium. Furor eorum sicut furor serpentis: sicut reguli obturantis aurem suam. Vt non audiat vocem murmurantium: nec incantatoris incantationes callidas. Deus excute dentes eorum ex ore eorum: molares leonum confringe domine. Dissoluantur quasi aqua quæ defluunt: intendit arcum suum donec conterantur. Quasi vermis tabefactus pertranseat: quasi abortiuum mulieris quod non vidit solem. Antequam crescant spinæ vestrae in rhamnum: quasi viuentes, quasi in ira tempestas rapiet eos. Latabitur iustus cum viderit vltionem: pedes suos lauabit in sanguine impij. Et dicit homo, verè est fructus iusto: verè est Deus iudicans in terra.

¶ *Victori vt non desperas David humilem & simplicem, quando misit Saul, & custodierunt domum vt occiderent eum.*

PSALMVS LIX.

Erue me de inimicis meis Deus meus, & à resistentibus mihi protege me. Libera me ab operarijs iniquitatis, & à viris sanguinum salua me.

Quia

Quia ecce insidiati sunt animæ meæ, congregantur aduersus me fortissimi: absque iniquitate mea, & absque peccato meo domine: Non egi iniquè, & illi currunt & preparantur: surge ex aduerso pro me & respice. Et tu domine Deus exercituum Deus Israël, cuius gloriæ ut visites omnes gentes: non miserearis vniuersis qui operantur iniquitatem semper. Reuertantur ad vesperam & latrent vt canes, & circumceant ciuitatem. Ecce loquitur in ore suo, gladius in labijs eorum: quasi nemo audiat. Tu autem domine deridebis eos: subfannabis omnes gentes. Fortitudinem meam ad te seruabo: quoniam tu Deus eleuator meus. Dei mei misericordia præueniet me: Deus ostendit mihi insidiatores meos. Ne occidas eos, ne forte obliuiscantur populi mei: disperge eos in fortitudine tua & destrue eos: protector noster domine. In peccato oris sui in sermone labiorum suorum, & capiuntur in superbia sua: maledictionem & mendacium narrantes. Consume in furore, consume vt non subsistant: & scient quoniam deus dominator Iacob, in sinibus terræ semper. Conuertentur ad vesperam, & latrent vt canes, & circumceant ciuitatem. Ipsi vagabuntur vt comedant, & cum saturati non fuerint, murmurabunt. Ego autem cantabo imperium tuum, & laudabo manes misericordiam tuam: quoniam factus es fortitudo mea, & refugium in die tribulationis meæ. Virtutem meam tibi cantabo: quoniam Deus adiutor meus, Deus misericordia mea.

¶ Victori pro lilijs testimonium humilis & simplicis Dauid, ad docendum: quando pugnauit aduersus Syriam & Mesopotamiam, & aduersus Syriam Soba: & reuersus est Iobab, & percussit Edom in valle salinarum duodecim millia.

PSALMVVS LX.

Deus proiecisti nos, scidisti nos: iratus es, conuertisti nos. Commouisti terram & diripuisti eam: sana contritiones eius quoniam mota est. Ostendisti populo tuo duritiam: potasti nos vino confopiente. Dedisti metuentibus te signum vt fugerent: à facie arcus semper. Vt liberentur amici tui: salua dextera tua, & exaudi me. Deus locutus est in sanctuario suo: letabor, diuidam Sicimam, & vallem Soccor dimeciar. Meus est Galaad, & meus est manasse, & Ephraim fortitudo capitis mei: Iuda legifer meus. Moab olla lauacri mei, super Idumæam incedam calciamento meo: mihi Palæstina foederata est. Quis deducet me ad cinitatem munitam: quis deducet me vsq; ad Idumæam? Nonne tu Deus qui proiecisti nos, & non egredieris Deus in exercitibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatione: vana est enim salus ab homine. In Deo faciemus virtutem, & ipse conculcabit tribulantes nos.

¶ Victori in psalmis Dauid.

PSALMVVS LXI.

Exaudi Deus laudationem meam: intende orationi meæ. De nouissimo terræ ad te clamabo, cum triste fuerit cor meum: cum fortis eleuabitur aduersum me, tu eris ductor meus. Fuiisti spes mea: turris munitissima à facie inimici. Habitabo in tabernaculo tuo iugiter: sperabo in protectione alarum tuarum semper. Tu enim Deus exaudisti orationem meam: dedisti hereditatem timentibus nomen tuum. Dies super dies regis adicies annos eius donec est generatio & generatio. Sedebit semper ante faciem Dei: misericordia & veritas seruabunt eum. Sic canam nomini tuo iugiter: reddens vota mea per singulos dies.

¶ Victori pro Ieribun canticum Dauid.

PSALMVVS LXII.

Atamen apud Deum silebit anima mea: ex eo salus mea. Attamen ipse est scutum meum & salus mea: fortitudo mea non commouebor amplius. Vtque quo insidiamini contra virum interficitis omnes, quasi murus inclinatus, & maceria corruens. Partem enim eius cogitauerunt expellere, placuerunt sibi in mendacio: ore suo singuli benedicunt, & corde suo maledicunt semper. Veruntamen Deo retice anima mea: ab ipso enim præstolatio mea. Sed ipse est fortitudo mea & salus mea: susceptor meus non timebo. In Deo salutare meum & gloria mea: robor fortitudinis meæ & salus mea in Deo. Sperate in eo omni tempore, populi effundite coram eo cor vestrum: Deus spes nostra est semper. Veruntamen vanitas filij Adam mendacium filij viri in stateris dolosis: fraudulenter agunt simul. Nolite confidere in calumnia & in rapina, ne frustremini: diuitiæ si affluerint, ne apponatis cor. Vnum locutus est deus, duo hæc audiui: quia imperium Dei est. Et tibi domine misericordia: quia tu reddes vnicuique secundum opus suum.

¶ Psalmus Dauid, cum esset in deserto Iudææ.

PSALMVVS LXIII.

Deus fortitudo mea tu es, de luce consurgam ad te: sitiuit anima mea, desiderauit te caro mea: in terra inuisa & constiente, ac sine aqua. Sic in sancto apparui tibi, vt videam fortitudinem tuam & gloriam tuam. Melior est enim misericordia tua quam vitæ: labia mea laudabunt te. Sic benedicam tibi in vita mea: in nomine tuo leuabo manus meas. Quasi adipe & pinguedine implebitur anima mea, & labijs laudantibus canet os meum. Recordans tui in cubili meo: per singulas vigilias meditabor tibi. Quia fuisti auxilium meum, & in vmbra alarum tuarum laudabo. Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. Ipsi verò interficere quærunt animam meam: ingrediantur in extrema terræ. Congregentur in manus gladius: pars vulpium erunt. Rex autem latabitur in Deo, laudabitur omnis qui iurat in eo: quia obstruet os loquentium mendacium.

¶ Victori psalmus Dauid.

PSALMVVS LXIV.

Audi Deus vocem meam loquentis: à timore inimici serua vitam meam. Absconde me à consilio malignorum: à tumultu operatum iniquitatem. Quia exaceruisti quasi gladium linguam suam: terenderunt sagittam suam verbum amarissimum. Vt sagittarent in absconditis simplicem: subito sagittabunt cum & non timebunt. Confortauerunt sibi sermonem pessimum, narrauerant vt absconderet laqueos: dixerunt quis videbit eos? Scrutati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes scrutinio, & cogitatione singulorum, & corde profundo. Sagittabit ergo eos deus iaculo repentino: inferentur plage eorum. Et corruet in semetipsum linguis suis: fugiet omnes qui viderint eos. Et timebunt omnes homines & annuntiabunt opus Dei, & opera eius intelligent. Latabitur iustus in domino, & sperabit in eo: & exultabunt omnes rectorum corde.

¶ Victori psalmus Dauid canticum.

PSALMVVS LXV.

Tibi silentium laus Deus in Sion, & tibi reddetur votum. Exaudi orationem: donec ad te omnis caro veniat. Verba iniquitatum præualuerunt aduersus me: sceleribus nostris tu propitiaberis.

BON
7.8.

A

Beatus quem elegeris & susceperis: habitabit enim in atrijs tuis, replebimur in bonis domus tua: sanctificatione templi tui. Terribilis in iustitia exaudi nos Deus saluator noster: confidentia omnium finium terræ, & maris longinqui. Preparans montes in virtute sua: accinctus fortitudine. Compescens sonitum maris, fremitum fluctuum eius, & multitudinem gentiū. Et timebunt qui habitant in extremis à signis tuis: egressus matutini & vesperi laudantes facies. Visitasti terram & irriga eam, ubertate dita eam, riuus dei plenus aqua: preparabis frumentum eorum, quia sic fundasti eam. Sulcos eius inebria, multiplica fruges eius: pluujs irriga eam, & germiui eius benedic. Voluetur annus in bonitate tua, & vestigia tua rorabunt pinguedine. Pinguescent pascuæ deserti, & exultatione colles accingentur. Vestientur agni greges: & valles plenæ frumento, coæquabuntur & canent.

¶ Victori canticum psalmi.

PSALMVS LXVI.

Iubilate Deo omnis terra. Cantate gloriam nomini eius: date gloriam laudi eius. Dicite Deo, quàm terribile opus tuum: in multitudine fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te & canat tibi: canat nomini tuo semper. Venite & videte opera Dei, terribilia consilia super filijs hominum. Conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi latabimur in eo. Qui dominatur in fortitudine sua sæculo, oculi eius gentes aspiciunt: qui increduli sunt, non exaltentur in semetipsis semper. Benedicite populi Deo nostro, & audiam facite vocem laudis eius. Qui posuit animam nostram ad vitam, & non dedit in commotionem pedes nostros. Probasti enim nos Deus: igne nos conflasti sicut conflatur argētum. Introduxisti nos in obsidionem: posuisti stridorem in dorso nostro. Posuisti homines super capita nostra: transuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Ingrediar domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea. Quæ promiserunt labia mea, & locutus est os meum in tribulatione mea. Holocauista medullata offeram tibi cum incenso arietum: faciam boues cum hircis semper. Venite, audite & narrabo omnes qui timetis Deum: quanta fecerit anima mea. Ipsum ore meo inuocaui, & exaltaui in lingua mea. Iniquitatem si vidi in corde meo, non exaudiet dominus. Ideo exaudiuit Deus: & attendit vocem deprecationis meæ. Benedictus Deus, qui nō abstulit orationem meam, & misericordiam suam à me.

¶ Victori in psalmis canticum carminis.

PSALMVS LXVII.

Deus misereatur nostri, & benedicat nos: illustret faciem suam super nos semper. Ut nota fiat in terra via tua: in vniuersis gentibus salus tua. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes. Letentur & laudent gentes quoniam iudicas populos in æquitate, & gentium quæ in terra sunt ductor es sempiternus. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes. Terra dedit germen suum: benedicat nobis Deus, Deus noster. Benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

¶ Victori David psalmus cantici.

PSALMVS LXVIII.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant, sicut tabescit cera à facie ignis: sic per-

cant impij à facie Dei. Iusti autem latentur & exultent in conspectu Dei, & gaudeant in lætitia. Cantate Deo, canite nomini eius: preparate viam ascendenti per desertum, in domino nomen eius, & exultate coram eo. Patre pupillorum, & defensore viduarum: Deus in habitaculo sancto suo. Deus in habitare facit solitarios in domo, educet vincitos in fortitudine: increduli autem habitauerunt in siccitatibus. Deus cum egredereris ante populū tuū, & ambulares per desertum semper. Terra commota est, & cœli distillaerunt à facie tua Deus, hoc est in Sinai: à facie Dei Israël. Pluuim voluntarium eleuasti Deus: hereditatem tuam & laborantem tu confortasti. Animalia tua habitauerunt in ea: preparasti in bonitate tua pauperi Deus. Domine dabis sermonem, annunciatricibus fortitudinis plurimæ. Reges exercituum foederabuntur: foederabuntur, & pulchritudo domus diuider spolia. Si dormieritis inter medios terminos pennæ columbæ de argentatæ, & posteriora eius in virore auri. Cum diuideret robustissimus reges in ea, niue dealbata est in Selmon. Mons Dei, mons pinguis: mons excelsus, mons pinguis. Quare contenditis montes excelsi aduersus montem, quem dilexit Deus ut habitaret in eo, siquidem dominus habitabit semper. Curus Dei innumerabilis milia abundantium: dominus in eis in Sinai in sancto. Ascendisti in excelsum, captiuam duxisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus: insuper & non credentes in habitare dominum Deum. Benedictus dominus per singulos dies, portabit nos Deus salutus nostræ semper. Deus noster Deus salutus, & domini Dei: mortis egressus. Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem crinis: perambulantium in delictis suis. Dixit dominus, de Basan conuertam: conuertam de profundis maris. Ut calcet pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum: ex inimicis à temetipso. Viderit itinera tua Deus: itinera Dei mei, regis mei in sancto. Præcesserunt cantatores eos, qui post tergum psallebāt in medio puellarum tympanistrarum. In ecclesijs benedicite Deo: domino de fontibus Israël. Ibi Benjamin paruulus cōtinens eos, principes Iuda in purpura sua: principes Zabulon, principes Neptali. Præcepit Deus tuus de fortitudine tua, cōforta Deus hoc quod operatus es in nobis. De templo tuo, quod est in Hierusalem: tibi offerent reges munera. Increpa bestiam calami congregatio fortium, in vitulis populorum calcitrantium contra rotas argenteas: disperge populos qui bella volunt. Offerantur velociter ex Aegypto: Aethiopia festinet dare manus Deo. Regna terræ cātate Deo: canite domino semper. Qui ascendit super cœlum cœli à principio: ecce dabit voci suæ vocem fortitudinis. Date gloriam Deo: super Israël magnificentia eius, & fortitudo eius in cœlis. Terribilis Deus de sanctuario suo: Deus Israël ipse dabit fortitudinem, & robur populo benedictus Deus.

¶ Victori pro lilys David.

PSALMVS LXIX.

Salua me Deus: quoniam venerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi, & non possum cōsistere: veni in profundum aquarum, & flumen operuit me. Laboraui clamans, exasperatū est guttur meum: defecerunt oculi mei, expectantes Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderūt me gratis: confortati sunt qui persequerantur me inimici mei iniuste: quæ non rapueram, tunc reddebam. Deus tu scis stultitiam meam,

& pec-

E & peccata mea à te non sunt abscondita. Non confundatur in me qui expectant te domine deus exercituum: non confundantur in me qui querunt te Deus Israël. Quia propter te portavi opprobrium: operuit confusio faciem meam. Alienus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meae. Quia zelus domus tuae comedit me, & opprobrium exprobratum tibi cecidit super me. Et fleui in ieiunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum meum sacco, & factus sum eis in parabolam. Contra me loquebantur qui sedebant in porta, & cantabant bibentes vinum. Mea autem oratio ad te domine, tempus reconciliationis est Deus in multitudine misericordiae tuae, exaudi me in veritate salutis tuae. Erue me de luto ut non infigar: libera me ab his qui oderunt me, & de profundis aquis. Ne operiat me fluius aquae, & ne absorbeat me profundum: & non coronet super me puteus os suum. Exaudi me domine, quoniam bona est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice ad me. Et ne abscondas faciem tuam à seruo tuo: quoniam tribulor cito exaudi me. Accede ad animam meam, redime eam: propter inimicos meos libera me. Tu scis opprobrium meum, & confusionem meam, & ignominiam meam: coram te sunt omnes hostes mei. Opprobrium contritum est cor meum, & desperatus sum: & expectavi qui contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Sit mensa eorum coram eis in laqueum, & in retributiones ad corruendum. Contenebrentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Effunde super eos indignationem tuam, & ira furoris tui comprehendat eos. Fiat commemoratio eorum deferta: in tabernaculis eorum non sit qui habitet. Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: & ut affligerent vulneratos tuos narrabant. Da iniquitatem super iniquitatem eorum, & non veniant in iustitia tua. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. Ego autem pauper & dolens: salus tua. Deus suscepit me. Laudabo nomen Dei in canticis, & magnificabo eum in confessione. Et placebit domino super vitulum nouellum, cornua essentem & vngulas. Videntes mansuerunt latrabunt: qui queritis Deum viuet anima vestra. Quoniam exaudiuit pauperes dominus, & viuos suos non desepit. Laudent eum caeli & terra: mare & omnia quae mouentur in eis. Quia Deus saluabit Sion, & edificabit ciuitates Iuda: & habitabunt ibi, & possidebunt eam. Et semen feruorum eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

¶ *Victori David ad recordandum.*

PSALMVS LXX.

D^Eus vt liberet me: domine vt auxiliaberis mihi festina. Confundantur & erubescant, qui querunt animam meam: conuertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi malum. Reuertantur ad vestigium confusionis suae: qui dicunt vah vah. Gaudeant & lætentur in te omnes qui querunt te: & dicant semper magnificetur dominus, qui diligunt salutare tuum. Ego autem egenus & pauper, deus festina pro me: auxilium meum & saluator meus tu, domine ne moreris.

PSALMVS LXXI.

I^N te domine speravi, non confundar in aeternum. In iustitia tua erue me, & libera me: inclina ad me aurem tuam, & salua me. Esto mihi robustum habitaculum vt ingrediar iugiter, praecipisti vt saluares me:

G quia petra mea & fortitudo mea es tu. Deus meus salua me de manu impij: de manu iniqui & nocetis. Quia tu es expectatio mea: domine Deus fiducia mea ab adolescentia mea. A te sustentatus sum ex utero, de ventre matris meae: tu es protector meus: in te laus mea semper. Quasi portentum factus sum multis, & tu spes mea fortissima. Impleatur os meum laude tua: tota die magnitudine tua. Ne proicias me in tempore senectutis: cum defecerit fortitudo mea, ne derelinquas me. Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui obseruabant animam meam, iniurunt consilium pariter. Dicentes Deus dereliquit eum: persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eruat. Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum festina. Confundatur & consumantur aduersarij animae meae: operiantur opprobrium & confusione, qui querunt malum mihi. Ego autem iugiter expectabo, & adiciam super omnes laudationes tuas. Os meum narrabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum: quia non cognoui literaturas. Ingrediar in fortitudine domini Dei: recordabor iustitiae tuae solius. Deus docuisti me ab adolescentia mea, & usque nunc annuntiabo mirabilia tua. Et insuper usque in senectutem & canos Deus ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi: cunctisque qui venturi sunt fortitudines tuas. Et iustitiam tuam Deus usque in excelsum, quanta fecisti magna: Deus quis similis tibi? Qui ostendisti mihi tribulationes plurimas & malas, conuersus viuificabis nos, & de abyssis terrae rursum educes nos. Multiplicabis magnitudinem meam, & conuersus consolaberis me. Ego autem confitebor tibi in uasis psalterij veritatem tuam, Deus meus catabo tibi in cithara: sancte Israël. Laudabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti. Insper & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: quia confusi sunt, & deonestati querentes malum mihi.

SALOMONI. LXXII.

D^Eus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis. Iudicabit populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Assument montes pacem populo, & colles iustitiam. Iudicabit pauperes populi, & saluabit filios pauperis: & confringet calumniatorem. Et timebunt te quam diu erit sol, & ultra lunam in generatione generationum. Descendet vt pluuia super vellus, vt stillae irrorantes terram. Germinabit in diebus eius iustus, & multitudo pacis donec non sit luna. Et dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos terrae. Ante eum procident Aethiopes, & inimici eius puluerem lingent. Reges Tharsis & insulae munera offerent: reges Arabiae & Saba tributum conferent. Et adorabunt eum omnes reges: vniuersae nationes seruient ei. Quia eruet pauperem à potente, & inopem cui non est adiutor. Parcet inopi & pauperi, & animas pauperum saluabit. Ab usura & iniquitate redimet animas eorum, & praetiosus erit sanguis eorum coram oculis eius. Et viuet & dabitur ei de auro Saba, & orabunt de eo iugiter: tota die benedicent ei. Erit memorabile triticum in terra: in capite montium eleuabitur sicut libani fructus eius, & florebit de ciuitate sicut foenum terrae. Erit nomen eius in aeternum ultra solem, perseuerabit nomen eius, & benedicentur in eo: omnes gentes beatificabunt eum. Benedictus dominus Deus, Deus Israël: qui facit mirabilia solus. Et benedictum nomen gloriae eius in sempiternum, & implebitur gloria eius vniuersa terra: amen & amen.

¶ *Comple-*

A

¶ Completa sunt orationes David filij Iesse. Canticum Asaph.

P S A L M V S LXXIII.

Attamē bonus est Israël, Deus his qui mūdo sunt corde. Mei autem penē vacillauerūt pedes: penē effusi sunt gressus mei. Quia aemulatus sum cōtra iniquos: pacē impiorū videns. Quod nō recogitauerint de morte sua: & firma sint vestibula eorum. In labore hominū nō sunt, & cū hominibus non flagellabūtur. Ideo nutriti sunt ad superbiam: circumdederunt iniquitatem sibi. Processerūt à pinguedine oculi eorū: transierunt cogitationes cordis. Irriserunt, & locuti sunt in malitia calumniam: de excelso loquentes. Posuerunt in celū os suum, & lingua eorū deambulauit in terra. Propterea conuertetur populus eius huc, & quis plenus inuenietur in eis: Et dixerūt quomodo nouit Deus, & si est scientia in excelso. Ecce isti impij, & abundātes in saeculo multiplicauerūt diuitias. Ergo ne frustra mandauit cor meum, & laui in innocētia manus meas. Et fui flagellatus tota die, & increpatio mea in matutinis. Dixi, si narrauerō sic: ecce generationē filiorum tuorū reliqui. Et cogitauit ut intelligerē istud: labor est in oculis meis. Donec veniam ad sanctuaria Dei: & intelligam in nouissimo eorum. Veruntamē in lubrico posuisti eos: deiecisti eos ad interitū. Quomodo vastati sunt subito: defecerunt, cōsumpti sunt quasi non sint. Quasi somnium euigilantis: domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges. Quia contractū est cor meū, & lumbi mei velut ignis fumigās. Et ego insipies & nescius: quasi iumentum factus sum apud te. Et eram semper tecum, & tenebas nanum dexterā meam. In consilium tuum deduces me, & postea in gloria suscipies me. Quid mihi est in caelo, & tecū nolui in terra. Consumpta est caro mea & cor meum: robur cordis mei & pars mea Deus in eternum. Quia ecce qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnem fornicantem à te. Mihi autem appropinquare Deo bonum est: posui in domino deo spem meam, ut narrem omnes annuntiationes tuas.

¶ Eruditio Asaph.

P S A L M V S LXXIV.

VT quid Deus repulisti in finē: fumabit furor tuus in gregē pascuae tuae. Recordare congregationis tuae, quā possedisti ab initio, & redemisti virgā hereditatis tuae: montē Sion in quo habitasti. Sublimitas pedum tuorū dissipata est vsq; ad finē: omnia mala egit inimicus in sanctuario. Fremuerunt hostes tui in medio pacti tui: posuerūt signa sua in trophæū. Manifesta in introitu desuper: in saltu lignorum secures. Et nūc sculpturas eius pariter bipenne & dolatorijs deraserunt. Miserunt ignē in sanctuariū tuum: in terra contaminauerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in cordibus suis posteri eorū simul: incenderunt oēs solennitates Dei in terra. Signa nostra non vidimus, nō est ultra propheta: & nō est nobiscū qui sciat vsquequo. Vsquequo Deus exprobrabit aduersarius: blasphemabit inimicus nomen tuū in finem? Quare cōuertis manum tuā & dexteram tuā: de medio sinu tuo cōsumens? Deus autē rex meus ab initio: operatur salutes in medio terra. Tu dissipasti in fortitudine tua mare: contriuisisti capita draconū in aquis. Tu cōfregisti capita leuiathan: dedisti eum in escam populo Aethiopum. Tu dirupisti fontem & torrentem, tu exiccasti flumina fortia. Tuus est dies, & tua est nox, tu ordinasti luminaria & solem. Tu statuisti omnes terminos terrae: aestatē & hyemem tu plasmasisti. Memēto huius, inimicus exprobrauit domino, & popu-

lus insipiens blasphemauit nomen tuum. Ne tradas bestijs animā eruditam lege tua: vitā pauperum tuorum ne obliuiscaris in perpetuū. Respice ad pactum: quia repletae sunt tenebris terrae, habitaciones iniquae subrutae. Ne reuertatur contractus & cōsufus: egenus & pauper laudabunt nomen tuum. Surge Deus, iudica causam tuam: memento opprobrii tui ab insipientē tota die. Ne obliuiscaris voces hostium tuorum: sonitus aduersariorum tuorum ascendit iugiter.

¶ Victori ut non desperdas. psalmus Asaph canticum.

P S A L M V S LXXV.

Confitebimur tibi Deus, cōfitebimur: & iuxta nomen tuū narrabunt mirabilia tua. Cūm accipero tempus, ego recta iudicabo. Dissoluetur terra cum omnibus habitatoribus suis: ego appendi columnas eius semper. Dixi iniquē agentibus, nolite iniquē agere, & impijs, nolite exaltare cornu. Nolite extollere in excelsum cornu vestrū: loquētes in ceruice veteri. Quia neque ab oriente, neque ab occidente: neque à solitudine montium. Sed Deus iudex: hunc humiliabit, & hunc exaltabit. Quia calix in manu domini est vino meraco vsque ad plenum mixtus, & propinabit ex eo: veruntamē feces eius epotabunt bibentes omnes impij terrae. Ego autem annuntiabo in sempiternum: cantabo Deo Jacob. Et omnia cornua impiorum confringam, & exaltabuntur cornua iusti.

¶ Victori in carminibus psalmus Asaph canticum.

P S A L M V S LXXVI.

Cognoscitur in Iudaea Deus: in Israël magnū nomen eius. Et erit in Salē tabernaculū eius, & habitatio eius in Sion. Ibi cōfringet volatilia arcus: scūtū, & gladium, & bellū semper. Lumē tu es magnifice à montibus captiuitatis. Spoliati sunt superbi corde: dormitauerunt somnū suū, & nō inuenērūt oēs viri exercitus manū suas. Ab increpatione tua De⁹ Jacob: cōsopitus est currus & equus. Tu terribilis es, & quis stabit aduersum te ex tunc ira tua. De caelo annūtiabis iudicium: terra timens tacebit. Cum surrexerit ad iudicandū Deus, ut saluos faciat oēs mites terrae semper. Quia ira hominis cōfitebitur tibi: reliquijs irae accingeris. Vouete & reddite domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius sunt, offerent dona terribili. Auferet spiritum ducum: terribili regibus terrae.

¶ Victori pro Idubun psalmus Asaph.

P S A L M V S LXXVII.

Voce mea ad dominum exclamaui: voce mea ad dominum, & exaudiuit me. In die tribulationis meae Deum exquisiui, manus mea nocte extenditur & non quiescit: noluit consolari anima mea. Recordans Dei cōturbabar: loquebar in memetipso, & deficiebat spiritus meus semper. Prohibebam suspēctum oculorum meorum: stupebam, & nō loquebar. Recogitabam dies antiquos: annos saeculorum. Recordabor psalmorū meorum: in nocte cum corde meo loquebar, & scopebam spiritum meum. Ergo ne in aeternum proiecit dominus, & non propitiabitur vltra. Ergone complebit vsq; in finem misericordiā suā: consummabitur verbum de generatione in generationē. Nunquid oblitus est misereri Deus: aut complebit in furore misericordiam suam semper. Et dixi, imbecillitas mea est: haec cōmutatio dexterae excelsi. Recordabor cogitationum domini: reminiscēs antiqua mirabilia tua. Et meditabor in omni opere tuo, & adinventiones tuas loquar. Deus in sancto via tua: quis Deus magnus ut Deus. Tu es Deus faciens mirabilia: ostendens in populis potentiam tuā. Redemisti in brachio populū tuū: filios Iacob & Ioseph semper.

Viden-

B

D

E Videntes te aqua Deus, videres te aquę parturierunt: & cōmota sunt abyssi. Excusserunt aquas nubila, vocē dederunt nubes, & sagittę tuę discurrebant. Vox tonitruī tui in rota, apparuerunt fulgura tua orbi: concussa est & cōmota est terra. In mari via tuę: & semitę tuę in aquis multis, & vestigia tuę nō sunt agnita. Deduxi sicut quasi gregē populū tuū: in manu Moyse & Aarō.

¶ Eruditio Asaph.

PSALMVS LXXVIII.

A Vsculta populū meū legem meam: inclinate aurem vēstram ad verba oris mei. Aperiā in parabola os meum: loquar ænigmata antiqua. Quę audiimus & cognouimus, & patres nostri narrauerunt nobis. Non sunt abscondita a filiis eorum, a generatione sequenti. Narrantes laudes domini, & potentiā eius: & mirabilia eius quę fecit. Statuit contestationē in Iacob, & legem posuit in Israël: quę mandauit patribus nostris, vt docerent filios suos. Vt cognosceret generatio subsequens filij nascituri: surgent & narrabant filiis suis. Vt ponant in Deo spem suam: & non obliuiscantur cogitationum Dei, & mandata eius custodiant. Et non sint sicut patres eorum generatio declinans, & prouocans: generatio quę non preparauit cor suum, & non credidit Deo spiritus eius. Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum: terga venterunt in die belli. Non custodierunt pactum Dei sui, & in lege eius noluerunt ingredi. Et obliui sunt commurationum eius, & mirabilium eius quę ostendit eis. Coram patribus eorum fecit mirabilia: in terra Aegypti, in regione Taneos. Diuisit mare, & transduxit eos: & stare fecit aquas quasi aceruum. Et duxit eos in nube per diem, & tota nocte in lumine ignis. Scidit petram in deserto, & potū dedit quasi de abyssi magnis. Et eduxit riuos de petra, & eliciuit quasi flumina aquas. Et addiderunt vltra peccare ei, vt prouocarent excelsum in inuio. Et tentauerunt Deum in cordibus suis: perentes cibum animę suę. Et loquētes contra Deum dicebant: nunquid poterit Deus ponere mēsam in solitudine: Ecce percussit petram, & fluxerunt aquę: & torrentes inundauerunt: nunquid & panem poterit dare, aut preparare carnem populo suo? Ideo audiuit dominus, & non distulit: & ignis accensus est in Iacob, & furor ascendit in Israël. Quia non crediderunt in Deo: nec habuerunt fiduciā in saluari eius. Et præcepit nubibus desuper, & portas cęli aperuit. Et pluit super eos manna vt comederent, & triticum cęli dedit eis. Panem fortium comedit vir: cibaria misit eis in saturitatem. Abstulit Euxum de cęlo, & induxit in fortitudine sua Aphricum. Et pluit super eos quasi puluērē carnes, & quasi arenam maris volatilia pēnata. Et ceciderunt in medio castrorū eorū: in circuitu tabernaculorum eorum. Et comederunt, & saturati sunt nimis: & desiderium eorū attulit eis. Non indiguerunt de cupiditate suę: cum adhuc cibus esset in ore eorum. Furor ergo Dei ascendit super eos: & occidit pingues eorū, & electos Israël incurauit. In omnibus his peccauerunt vltra, & nō crediderunt in mirabilibus eius. Et cōsumpsit in vanitate dies eorum, & annos eorū velociter. Si occidebat eos, tunc requirebant eum: & conuertebantur, & diluculo confurgebant ad Deū. Et recordabatur quia Deus fortitudo eorū, & Deus excelsus redemptor eorū est. Et lactauerunt eum in ore suo, & in lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat firmum cum eo: nec permanserunt in pacto eius. Ipse verō misericors propitiabitur iniquitati, & nō disperdet mul-

G tum quę auertit iram suam, & non suscitauit rotum furorem suum. Sed recordatus est quia caro essent: spiritus vadens, & non reuertens. Quotiens prouocauerunt eum in deserto: afflixerunt eum in solitudine. Et conuersi sunt, & tentauerunt Deum: & sanctum Israel concitauerunt. Non sunt recordati manus eius: diei quę redemit eos a tribulatione. Qui fecit in Agypto signa sua, & ostenta sua in regione Taneos. Qui conuertit in sanguinem fluuios eorum, & riuos eorū ne biberent. Qui immisit in eis omne genus muscarū vt comederent eos, & ranas vt disperderent eos. Qui dedit bruchos germen eorum, & laborē eorum locustę. Qui occidit in gradine vineas eorum, & sycamoros eorum in frigore. Qui tradidit grandini pascua eorum, & iumenta eorum volucris. Qui misit in eos iram furoris sui: indignationem, & comminationem, & angustiam: immisionē angelorum malorū. Muniuit semitam furori suo, non pepercit a morte animę eorū: & animantia eorū pesti tradidit. Et percussit omne primogenitum in Agypto: principium partus in tabernaculis Cham. Et tulit velut oues populū suum, & minauit eos sicut gregem in deserto. Et eduxit eos cum fiducia & absque timore: inimicos autem eorum operuit mare. Et adduxit eos ad terminum sanctificatum suū: montem istum quę possedit dextera eius. Et eiecit a facie eorū gentes: & possidere eos fecit in funiculo hereditatem, & collocavit in tabernaculis eorum tribus Israel. Et tentauerunt, & prouocauerunt Deum excelsū: & testimonia eius non custodierunt. Et auersi sunt & prauaricati sunt vt patres eorum: incuruati sunt quasi arcus inutilis. Et prouocauerunt eum in excelsis suis, & in sculptilibus suis ad æmulandum concitauerunt. Audiuit Deus, & non distulit: & proiecit vehementer Israel. Et reliquit tabernaculum Silo: tentorium quod collocavit inter homines. Tradidit in captiuitatem gloriam suam, & decorem suum in manu hostis. Et conclusit in gladio populū suum, & in hereditatem suam nō distulit. Iuuenes eius deuorauit ignis, & virgines eius nemo luxit. Sacerdotes eius gladio ceciderunt, & viduę eius non sunt stera. Et euigilauit quasi dormiens dominus: quasi fortis post crapulam vini. Et percussit hostes suos retrorsum: opprobriū sempiternum dedit eis. Et proiecit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit. Sed elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit. Et edificauit in similitudine monocerotis sanctuarium suum: quasi terram fundauit illud in sæculum. Et elegit Dauid seruum suum, & tulit eum de gregibus ouium. Sequentem feras adduxit eum, vt pasceret Iacob populū eius, & Israel hereditatem suam. Qui pauit eos in simplicitate cordis sui, & in prudētia manuum suarum dux eorum fuit.

¶ Canticum Asaph.

PSALMVS LXXIX.

D Eus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: posuerunt Hierusalem in aceruis lapidum. Dederunt cadauera seruorum tuorum escam volatilibus cęli, carnes sanctorum tuorum bestijs terrę. Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & derisio his qui in circuitu nostro sunt. Usquequo domine irasceris in finem: ardebit quasi ignis zelus tuus. Effunde furorem tuum super gentes quę non cognouerunt te, & super regna quę nomen tuum non inuocauerunt.

Quia

A Quia comederunt Iacob, & decorē eius desolauerūt. Ne recorderis iniquitatum nostrarum veterum, cito occupent nos misericordie tue: quia attenuati sumus nimis. Auxiliare nobis De^o Iesus noster propter gloriam nominis tui, & libera nos: & propitiare peccatis nostris propter nomen tuum. Quare dicunt gentes, vbi est Deus eorum: nota fiat in gentibus ante oculos nostros, vltio sanguinum feruorum tuorum qui effusus est. Ingrediatu coram te gemitus victorū in magnitudine brachij tui: relinque filios interitus. Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorū: opprobrium suum quod exprobrauerunt tibi domine. Nos enim populus tuus, & grex pascuę tuę confitebimur tibi in sempiternum: in generatione & generatione narrabimus laudes tuas.

¶ *Victori pro Ilij testimonium Asaph Canticum.*
PSALMVS LXXX.

B **Q**ui pascis Israēl ausculta, qui ducis quasi gregem Ioseph: qui sedes super Cherubim ostēdere. Ante Ephraim & Benjamin & Manasse suscita fortitudinem tuam, & veni vt saluos facias nos. Deus conuertere nos, & ostēde faciem tuam, & salui erimus. Domine Deus exercituum: vsquequo fumabis ad orationē populi tui? Cibasti nos pane flebili, & potasti nos in lacrymis tripliciter. Posuisti nos contentionem vicinis nostris, & inimici nostri subannauerunt nos. Deus exercituum conuertere nos, & ostēde faciem tuam & salui erimus. Vineam de Aegypto tulisti: eiecisti gentes & plantasti eam. Preparasti ante faciem eius, & repleuit terram. Operiti sunt montes vmbra eius, & ramis illius cedri Dei. Expandit comas suas vsq; ad mare, & vsq; ad flumen germina sua. Quare dissipasti maceriam eius, & vindemiauerūt eam omnes qui transeunt per viam. Vastauit eam aper de sylua, & omnes bestia agrī depasta sunt eam. Deus exercituum reuertere obsecro, respice de cœlo: & vide, & visita vineam hanc. Et radicem quā plantauit dextera tua, & filium quem confirmasti tibi. Succensam igni & deramatam: ab increpatione faciei tuę pereant. Fiat manus tua super virum dextrę tuę, & super filium hominis quem confirmasti tibi. Et non recedimus a te: viuificabis nos & nomine tuo vocabimur. Domine Deus exercituum conuertere nos: ostēde faciem tuam, & salui erimus.

¶ *Victori pro torcularibus Asaph.*
PSALMVS LXXXI.

Laudate Deum fortitudinem nostram: iubilate Deo Iacob. Assumite carnē, & date tympanum: citharam decoram cum psalterio. Clangite in neomenia buccina, & in medio mēse die solennitatis nostrę. Quia legitimum Israēl est, & iudicium Deo Iacob. Testimonium in Ioseph posuit eum cum egrediretur de terra Aegypti: labium quod nesciebā audiui. Amoui ab onere humerum eius: manus eius a cophino recesserūt. In tribulatione inuocasti, & erui te, & exaudiui te in abscondito tonitruū: probaui te super aquam contradictionis semper. Audi populus meus, & contestabor te: Israēl si audieris me. Non sit in te Deus alienus, & non adores Deum peregrinum. Ego sum dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti: dilata os tuum & implebo illud. Et non audiuit populus meus vocem meam: & Israel nō credit mihi. Et dimisi eum in prauitate cordis sui: ambulabunt in consilijs suis. Vtinam populus meus audisset me: Israel in vijs meis ambulasset. Quasi nihilū inimicos eius humiliassem, & super hostes eorum

vertissem manum meam. Qui oderunt dominum, negabunt eum: & erit tempus eorum in saculum. Et cibauit eos de adipe frumenti, & de petra mellis fatu-
rauit eos.

¶ *Psalms Asaph.*

PSALMVS LXXXII.

Deus stetit in cœtu Dei: in medio deos diiudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies impiorum suscipitis semper. Iudicate pauperi & pupillo, egeno & inopi iuste facite. Saluate inopem & pauperem: de manu impiorū liberate. Non cognoscunt nec intelligunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terrę. Ego dixi dii estis, & filij excelsi omnes vos. Ergo quasi Adam moriemini, & quasi vnus de principibus cadetis. Surge domine, iudica terram: quoniam tu hereditabis omnes gentes.

¶ *Canticum Psalmus Asaph.*

PSALMVS LXXXIII.

Deus ne taceas: ne files, & non quiescas Deus. Quia ecce inimici tui tumultuati sunt, & qui oderunt te eleuauerunt caput. Contra populum tuum nequiter tractauerunt, & inierunt cōsiliū aduersus arcanum tuum. Dixerunt venite: & conteramus eos de gente, & non sit memoria nominis Israēl vltra. Quoniam tractauerunt corde pariter: cōtra te fœdus pepigerunt. Tabernacula Idumeę & Hismaclitarum: Moab & Agareni. Gebal & Ammon & Amalec: Palæstina cum habitatoribus Tyri. Sed & Assur venit cum eis: facti sunt brachium filiorum Lot semper. Fac illis sicut Madian, & Sifarā, sicut Iabin in torrente Cifon. Contriti sunt in Endor: fuerunt quasi sterquilinum terrę. Pone duces eorum sicut Oreb & Zeb: & Zebce, & Salmana omnes principes eorum. Qui dixerunt, possideamus nobis pulchritudinē Dei. Deus meus pone eos vt rotam: quasi stipulam ante fabiem venti. Quomodo ignis comburit syluam, & sicut flamma deuorat montes. Sic persequere eos in tempestate tua, & in turbine tuo conturba eos. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomē tuum domine. Confundantur & conturbentur vsque in saculum: erubescant, & pereant. Et sciant quia nomen tuum est dominus solus tu: excelsus super omnem terram.

¶ *Victori pro torcularibus, filiorum Core psalmus.*

PSALMVS LXXXIV.

Quam dilecta tabernacula tua domine exercituum. Desiderat & deficit anima mea in atria domini: cor meum & caro mea laudabunt Deum viuentem. Siquidem passer inuenit domum, & auis nidum sibi, vt ponat pullos suos: altaria tua domine exercituum, rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua: adhuc laudabunt te semper. Beatus homo cuius fortitudo in te est: semitæ in corde eius. Transcentes in valle fluctus, fontem ponent eam: benedictione quoque amicietur doctor. Ibunt de fortitudine in fortitudinem: parebunt apud Deum in Sion. Domine Deus exercituum exaudi orationem meam: ausculta Deus Iacob semper. Clypeus noster vide Deus, & attende faciem Christi tui. Quoniam melior est dies in atrijs tuis super millia: elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis impietatis. Quia sol, & scutum dominus Deus, gratiam & gloriam dabit dominus: nec prohibebit bonum ab his qui ambulant in perfectione. Domine exercituum: beatus homo qui confidit in te.

¶ *Victori*

¶ *Victori filiorum Core, Psalmus.*

P S A L M V S LXXXV.

Placatus es domine terræ tuæ: reduxisti captiuitatem Iacob. Dimisisti iniquitatem populo tuo: operuisti omnes iniquitates eorum semper. Continuisti omnem indignationem tuam: conuersus es ab ira furoris tui. Conuerte nos Deus Iesus noster, & solue iram tuam aduersum nos. Noli in æternum irasci nobis: extendens iram tuam in generationem & generationem. Nonne tu reuertens viuificabis nos, & populus tuus lætabitur in te. Ostende nobis domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. Audi quid loquatur dominus Deus: loquetur enim pacem ad populum suum, & ad sanctos suos, vt non conuertantur ad stultitiam. Veruntamen prope est his qui timēt eum salutare eius, vt habitet gloria in terra nostra. Misericordia & veritas occurrerunt: iustitia & pax deosculatæ sunt. Veritas de terra orta est, & iustitia de caelo prospexit. Sed & dominus dabit bonum, & terra nostra dabit germen suum. Iustitia ante eum ibit, & ponet in via gressus suos.

¶ *Oratio David.*

P S A L M V S LXXXVI.

Inclina domine aurem tuam, exaudi me: quia egenus & pauper sum ego. Custodi animam meam, quia sanctus sum: salua seruum tuum tu Deus meus, qui confidit in te. Miserere mei domine: quoniam ad te clamabo tota die. Lætifica animam serui tui: quia ad te domine animam meam leuo. Tu enim es domine bonus: & propitiabilis, & multus misericordia omnibus qui inuocant te. Exaudi domine orationem meam, & ausculta vocem deprecationū mearum. In die tribulationis meæ inuocabo te, quia exaudies me. Non est similis tui in dijs domine, & non est iuxta opera tua. Omnes gentes quas fecisti, venient & adorabunt coram te domine, & glorificabunt nomen tuum. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu Deus solus. Doce me domine viam tuam, vt ambulem in veritate tua: vnicum fac cor meum, vt timeat nomen tuū. Confitebor tibi domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in sempiternum. Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam de inferno extremo. Deus superbi surrexerunt aduersum me, & cæcus robustorum quaesierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo. Tu autem domine Deus misericors & clemens: patiens, & multa misericordiae & verus. Respice ad me & miserere mei: da fortitudinem tuam seruo tuo, & salua filium ancillæ tuæ. Fac mecum signum in bonitate, & videant qui oderunt me, & confundantur: quia tu domine auxiliatus es mihi, & consolatus es me.

¶ *Filiorum Core psalmus cantici.*

P S A L M V S LXXXVII.

Fundamenta eius in montibus sanctuarij. Diligit dominus portas Sion: super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt in te ciuitas Dei semper. Commemorabor superbiæ & Babylonis scientium me, ecce Palæstina & Tyrus cum Aethiopia: iste natus est ibi. Ad Sion autem dicerur vir: & vir natus est in ea, & ipse fundauit eam excelsus. Dominus numeravit scribens populos: ipse natus est in ea semper. Et cantabunt quasi in choris: omnes fortes mei in te.

Hieron. Tom. 7.

¶ *Canticum carminis filiorum Core victori per Chorum ad præcendendum, eruditionis Eman Ezraita.*

P S A L M V S LXXXVIII.

Domine Deus salutis meæ: per diem clamaui, & nocte coram te. Ingrediatu ante te oratio mea: inclina aurem tuam ad laudationem meam. Quia repleta est malis anima mea, & vita mea ad infernum descendit. Reputatus sum cum descenditibus in lacum: factus sum quasi homo intalidus. Inter mortuos liber, sicut interfecti & dormientes in sepulcro, quorum non recordaris amplius: & qui à manu tua abscissi sunt. Posuisti me in lacu nouissimo: in tenebris & in profundis. Super me confirmatus est furor tuus, & cunctis fluctibus tuis afflixisti me semper. Longe fecisti notos meos à me, posuisti me abominationem eis: clausum, & non prodeuntem. Oculus meus infirmatus est ab afflictione, inuocaui te domine tota die: expandi ad te palmas meas. Nūquid mortuis facies mirabilia: aut gigantes resurgent, & confitebuntur tibi semper? Nunquid narrabitur in sepulcro misericordia tua, & veritas tua in perditione? Nunquid cognoscetur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra quæ obliuioni tradita est? Ego autem ad te domine clamaui, & mane oratio mea præueniet te. Quare domine abijcis animam meam: abscondis faciem tuam à me. Pauper ego & erumnosus, ab adolescentia mea portauit furorem tuum, & conturbatus sum. Super me transferunt iræ tuæ: terrores tui oppresserunt me. Circumdederunt me quasi aquæ tota die: vallauerunt me pariter. Longe fecisti à me amicum & sodalem: notos meos abstulisti.

¶ *Intellectus Erihan Ezraita.*

P S A L M V S LXXXIX.

Misericordias domini in æternum cantabo: in generatione & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Quia dixisti, sempiterna misericordia ædificabitur: coelos fundabis, & veritas tua in eis. Percussisti foedus cum electo meo: iuravi David seruo meo. Usque in æternum stabiliam semē tuum, & ædificabo in generatione & generatione thronum tuum semper. Confitebuntur coeli mirabilia tua domine, & veritatem tuam in ecclesia sanctorum. Quis enim in nubibus æquabitur domino, assimilabitur domino de filijs Dei. Deus inclutus in arcano sanctorum nimio, & terribilis in cunctis qui circa eum sunt. Domine Deus exercituum, quis similis tui fortissime domine: & veritas tua in circuitu tuo. Tu dominaris superbiæ maris, & elationes gurgitum eius tu comprimis. Tu confregisti quasi vulneratum superbum: in brachio forti tuo dispersisti inimicos tuos. Tui sunt celi, & tua est terra: orbem & plenitudinem eius tu fundasti. Aquilonem & dextrum tu creasti: Thabor & Hermon nomen tuum laudabunt. Tuum brachium cum fortitudine: roboretur manus tua, & exaltetur dextera tua. Iustitia & iudicium firmamentum throni tui: misericordia & veritas præcedent faciem tuam. Beatus populus qui nouit iubilum: domine in lumine vultus tui ambulabunt. In nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur. Quia gloria fortitudinis eorum tu es, & in voluntate tua eleuabis cornu nostrum. Quia à domino est protectio nostra, & à sancto Israël rege nostro. Tunc locutus es per visionē sanctis tuis: & dixisti posui adiutorium super robustum, & exaltavi electū de populo. Inueni David seruum meum: oleo sancto meo unxi eum. Cum quo manus mea firma erit, & brachium meum

ROY
7.8.

A meum roborabit eum. Non decipiet inimicus eum, & filius iniquitatis non affliget eum. Sed concidam ante faciē eius hostes illius; & qui eum oderunt, percutiam. Veritas autem mea & misericordia mea erit cum eo, & in nomine meo exaltabitur cornu eius. Et ponam in mari manū eius; & in fluminibus dexteram eius. Ipse inuocabit me, pater meus es tu; Deus meus, & fortitudo salutis meae. Ego autē primogenitum ponam eū, excelsum regibus terrae. In aeternum custodiam ei misericordiam meā, & pactum meū fidele erit ei. Et ponam perpetuū semen eius, & thronum eius sicut dies caeli. Si autem dereliquerint filij eius legē meā, & in iudicijs meis non ambulauerint. Si caeremonias meas prophanauerint, & praecepta mea non custodierint. Visitabo in virga scelera eorum, & in plagis iniquitates eorū. Misericordiam autem meā non auferam ab eo: nec mentiar in veritate mea. Non violabo pactum meū, & quod egressum est de labijs meis, non mutabo. Semel iuravi in sancto meo, si Dauid mentiar. Semen eius in sempiternum erit, & thronus eius sicut sol in conspectu meo. Sicut luna stabilietur in sempiternū, & testis in caelo fidelis semper. Tu autē repulisti & proiecisti: iratus es aduersus Christum tuū. Attenuasti pactum serui tui: prophanasti in terra diadema eius. Dissipasti omnes macerias eius: posuisti mutationes eius pauperem. Diripuerunt eum omnes qui transeunt per viā, factus est opprobriū vicinis suis. Eleuasti dexteram hostiū eius: laxificasti omnes inimicos illius. Auertisti robur gladij eius, & non subleuasti eum in praelio. Quiescere fecisti munditiam eius, & thronū illius in terra detraxisti. Abbreuiasti dies adolescentiae eius: operuisti eum ignominia semper. Usquequod domine absconderis in finem: succenditur quasi ignis indignatio tua. Memēto mei de profundo: alioquin quare frustra creasti filios hominum. Quis est vir qui uiuat, & non videat mortem: saluans animā suam de manu inferi semper. Vbi sunt misericordiae tuae antiquae, domine, quas iurasti Dauid in veritate tua. Recordare domine opprobrij seruorum tuorum: quia portauit in sinu meo omnes iniquitates populorū. Quas exprobrauerunt inimici tui domine: quibus exprobrauerunt vestigia Christi tui. Benedictus dominus in sempiternum: Amen.

Oratio Moysi viri Dauid.

PSALMVS XC.

Domine habitaculum tu factus es nobis, in generatione & generatione. Antequam montes nascerentur & parturiretur terra, & orbis: à saeculo & vsque in saeculum tu es Deus. Conuertens hominem vsque ad contritionē, & dicens reuertimini filij Adā. Quia mille anni in oculis tuis sicut dies hesternae pertransijt, & vigilia nocturna. Percutiente te eos ut somniū erunt: mane quasi herba pertransiens. Manē floruit & abiit: ad vespertū conteretur atque siccabitur. Consumpti enim sumus in furore tuo, & in indignatione tua conturbati sumus. Posuisti iniquitates nostras coram te: negligentias nostras in luce vultus tui. Omnes enim dies nostri transierunt in furore tuo: consumpsimus annos nostros quasi sermonem loquens. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta annis: si autem multū, octoginta anni, & quod amplius, labor & dolor: quoniam transibimus citō & auoluimus. Quis nouit fortitudinem irae tuae, & secundum timorem tuū indignationem tuam? Vt numerentur dies nostri sic ostende, & ve-

niemus corde sapienti. Reuertere domine vsquequod, & exorabilis esto super seruos tuos. Imple nos matutina misericordia tua, & laudabimus & laudabimur in cunctis diebus nostris. Laxifica nos pro diebus quibus afflixisti nos, & annis in quibus vidimus mala. Appareat apud seruos tuos opus tuum, & gloria tua super filios eorū. Et decor domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarū fac stabile super nos: & opus manuum nostrarum confirma.

PSALMVS XCI.

Qui habitat in abscondito excelsi: in vmbraculo domini commorabitur. Dicens domino, spes mea, & fortitudo mea: Deus meus confidam in eo. Quia ipse liberabit te de laqueo venantiū: de morte insidiarum. In scapulis suis obrumbrabit tibi, & sub alis eius sperabis: scutum & protectio veritas eius. Non timebis à timore nocturno: à sagitta volante per diem. A peste in tenebris ambulante: à morsu infanientis meridie. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Veruntamen oculis tuis videbis, & vltionem impiorum cernes. Tu enim es domine spes mea: excelsum posuisti habitaculum tuum. Non accedet ad te malum, & lepra non appropinquabit tabernaculo tuo. Quia angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne fortē offendat ad lapidem pes tuus. Super aspitem & basiliscum calcabis: conculcabis leonem & draconem. Quoniam mihi adhæsit, & liberabo eum: exaltabo eum, quoniam cognouit nomen meū. Inuocabit me, & exaudiam eum, cum ipso ero in tribulatione: eruum eum, & glorificabo eum. Longitudinem dierum implebo eum, & ostendam illi salutare meum.

Psalmus cantici in die sabbathi.

PSALMVS XCII.

Bonum est confiteri domino, & psallere nomini tuo altissime. Ad annuntiaandum mane misericordiam tuā, & fidem tuam in nocte. In decachordo & in psalterio, in cantico & cithara. Quoniam laxificasti me domine in opere tuo: in facturis manuum tuarum laudabo. Quā magnificata sunt opera tua domine: satis profunda facta sunt cogitationes tuae. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget istud. Germinauerunt impij quasi scenum, & floruerunt omnes qui operantur iniquitatem, ut conterantur vsque in sempiternum. Tu autem excelsus in aeternum domine. Ecce enim inimici tui domine, ecce inimici tui peribunt, & dissipabuntur omnes qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur quasi monocerotis cornu meū, & senectus mea in oleo vberis. Et respiciet oculus meus eos qui insidiantur mihi, de his qui consurgunt aduersum me malignantibus audiet auris mea. Iustus ut palma florebit, ut cedrus in libano multiplicabitur. Transplantati in domo domini: in atrijs Dei nostri germinabunt. Adhuc fructificabunt in senectute: pingues & frondentes erunt. Annunciantes quia rectus dominus: fortitudo mea, & non est iniquitas in eo.

PSALMVS XCIII.

Dominus regnauit gloria, indur⁹ est: indutus est dominus fortitudine, & accinctus est: in super appendit orbem qui non commouebitur. Firmum solum tuum ex tunc, ab aeterno tu es. Leuauerunt flumina domine, leuauerunt flumina voces suas:

leuauc-

Eleuauerunt flumina gurgites suos. A vocibus aquarum multarum grandes fluctus maris: grandis in excelsu dominus. Testimonia tua fidelia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitas: domine in longitudine dierum.

PSALMVS XCIV.

Deus ultionum domine: Deus ultionū ostendere. Eleuare qui iudicas terram: redde uicissitudinem superbis. Vsq̄quo impij domine: vsq̄quo impij exultabunt. Fluent loquentes antiquum: garrēt omnes qui operantur iniquitatem. Populum tuum domine conterent, & hereditatem tuam affligent. Vidua & aduenam interficient, & pupillos occident. Et dixerunt non videbit Dominus, & non intelliget Deus Iacob. Intelligite stulti in populo, & insipientes aliquando discite. Qui plantauit aurem non audiet: aut qui finxit oculum non videbit: Qui erudit gentes non arguet, qui docet hominem scientiam. Dominus nouit cogitationes hominum: quia vanæ sunt. Beatus vir quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Ut quiescat à diebus afflictionis: donec fodiat impio interitus. Non enim derelinquet dominus populum suum, & hereditatem suam non deseret. Quoniam ad iustitiam reuertetur iudicium, & sequentur illud omnes recti corde. Quis stabit pro me aduersum malos: qui stabit pro me aduersum operarios iniquitatis. Nisi quia dominus auxiliator meus: paulominus habitasset in inferno anima mea. Si dicebam, motus est pes meus: misericordia tua domine sustentabat me. In multitudine cogitationum mearum, quæ sunt in me intrinsecus: consolationes tuæ delectabant animam meam. Nunquid particeps erit tui thronus insidiarum fingens laborem in precepto. Copulabuntur aduersum animam iusti, & sanguine innocentem condemnabunt. Erit autem mihi dominus in refugium, & Deus meus quasi petra spei meæ. Et restituet super eos iniquitatem suam, & in malitia sua perdet eos: perdet eos dominus Deus noster.

PSALMVS XCV.

Venite, laudemus dominum: iubilemus petre Iesu nostro. Præoccupemus vultum eius in actione gratiarum: in canticis iubilemus ei. Quoniam fortis & magnus dominus, & rex magnus super omnes deos. In cuius manu fundamenta terræ, & excelsa montium ipsius sunt. Cuius est mare, ipse enim fecit illud, & siccam manus eius plasmauerunt. Venite adoremus & curemur: flectamus genua ante faciem domini factoris nostri. Quia ipse est Deus noster, & nos populus pascuæ eius, & grex manus eius: hodie si vocem eius audieritis. Nolite indurare corda vestra, sicut in contradictione: sicut in die tentationis in deserto. Vbi tentauerunt me patres vestri: probauerunt me, & viderunt opus meum. Quadraginta annis displicuit mihi generatio illa: & dixi populus errans corde est, & non cognoscens vias meas. Quibus iuravi in furore meo, vt non introirent in requiem meam.

PSALMVS XCVI.

Cantate domino canticum nouum: cantate domino omnis terra. Canite domino, benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutem eius. Narrate in gentibus gloriam eius: in vniuersis populis mirabilia eius. Quia magnus dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deos. Omnes enim dij populorum sculptilia: dominus autem cœ-

los fecit. Gloria, & decor ante vultum eius: fortitudo & exultatio in sanctuario eius. Afferre domino familiæ populorum: afferre domino gloriam & fortitudinem. Afferre domino gloriam nomini eius: leuate munera & introite in atria eius. Adorate dominum in decore sanctuarij: pauca à facie eius omnis terra. Dicite in gentibus, dominus regnavit: siquidem appendit orbem immobilem: iudicabit populos in æquitate. Latamini coeli & exaltet terra: tonet mare & plenitudo eius. Gaudeat ager & omnia quæ in eo sunt: tunc laudabunt vniuersa ligna saltus. Ante faciem domini quoniam venit, quoniam venit iudicare terram: iudicabit orbem in iusto, & populos in fide sua.

PSALMVS XCVII.

Dominus regnavit, exaltet terra: Iatrabuntur insula multa. Nubes & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium firmamentum solij eius. Ignis ante faciem eius ibit, & exuret per circuitum hostes eius. Apparuerunt fulgura eius orbi: vidit, & contremuit terra. Montes sicut cera tabefacti sunt à facie dominatoris omnis terra. Annuntiauerunt coeli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur vniuersi qui seruiunt sculptili, qui gloriantur in idolis: adorate cum omnes dii. Audiuit & lætata est Sion: & exultauerunt filia Iudæ, propter iudicia tua domine. Tu enim dominus excelsus super omnem terram: vehementer eleuatus es super omnes deos. Qui diligitis dominum: odite malum, custodite animas sanctorum suorum, de manu impiorum eruet eos. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Latamini iusti in domino, & confitemini memoriæ sanctæ eius.

PSALMVS XCVIII.

Cantate domino canticum nouum, quia mirabilia fecit: saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Notum fecit dominus salutem suam: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israël: viderunt omnes fines terræ, salutem Dei nostri. Iubilate Deo omnis terra: vociferamini, & laudate, & canite. Canite domino in cithara: in cithara & voce carminis. In tubis & clangore buccinæ: iubilate coram rege domino. Tonet mare & plenitudo eius: orbis & habitatores eius. Flumina plaudent manu: simul montes laudabunt. Ante dominum, quia venit iudicare terram: iudicabit orbem in iustitia, & populos in æquitatibus.

PSALMVS XCIX.

Dominus regnavit, commoueantur populi: selector Cherubim concutiat terra. Dominus in Sion magnus, & excelsus est super omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno, & terribili sanctoque. Imperium regis iudicium diligit, tu fundasti æquitates: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti. Exaltate dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius: quia sanctus est. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel in his qui inuocant nomen eius: inuocabant dominum, & ipse exaudivit eos. In columna nubis loquebatur ad eos: custodierunt testimonia eius, & præceptum quod dedit eis. Domine Deus noster tu exaudisti eos: domine propitius fuisti eis, & vltor super commutationibus eorum. Exaltate dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quia sanctus dominus Deus noster.

HON
78

A

Psalmus in confessione.
P S A L M V S C.

Iubilate Deo omni terra. Seruite domino in lætitia: ingredimini coram eo in laude. Scitote quoniam dominus ipse est Deus, ipse fecit nos & ipsius sumus: populus eius & grex pascuæ eius. Ingreddimini portas eius in gratiarum actione, atria eius in laude: confitemini ei, benedicite nomini eius. Quia bonus dominus, in sempiternum misericordia eius, & vsq; ad generationem & generationem fides eius.

DAVID. P S A L M V S C I.

Misericordiam & iudicium cantabo: tibi domine psallam. Erudiar in via perfecta quando venies ad me: ambulabo in simplicitate cordis mei in medio domus meæ. Non ponam coram oculis meis verbum Belial, facientem declinationes odiui: nec adhæsit mihi. Cor prauum recedet à me: malum nesciã. Loquentem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiam, superbum oculis & altum corde: cum hoc esse non potero. Oculi mei ad fideles terre: vt habitent mecum, ambulans in via simpliciter, hic ministrabit mihi. Non habitabit in medio domus meæ: faciens dolum: loquens mendacium, non placebit in cõspectu oculorum meorum. Mane perdam omnes impios terra, vt interficiam de ciuitate domini vniuersos qui operantur iniquitatem. Oratio pauperis cum anxius fuerit, & coram domino effuderit eloquium suum.

P S A L M V S C I I.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Non abscondas faciem tuam à me, in die tribulationis meæ inclina ad me aurem tuam: in quacunq; die inuocauero te velociter exaudi me. Quoniam consumpti sunt sicut fumus dies mei, & ossa mea quasi frixa contabuerunt. Percussum est quasi foenum & arefactum est cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum. A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ. Assimilatus sum pelicano deserti: factus sum quasi bubo solitudinum. Vigilauit & fui, sicut auis solitaria super tectum. Tota die exprobrabant mihi inimici mei: exultantes per me iurabant. Quia cinerem sicut panem comedi, & porum meum cum fletu miscui. A facie indignationis tuæ & iræ tuæ: quia eleuasti me & allisisti me. Dies mei quasi umbra inclinati sunt, & ego quasi foenum arui. Tu autem domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generatione & generatione. Tu suscitans misereberis Sion: quia tempus est vt miserearis eius, quoniam venit tempus. Quoniam placitos fecerunt serui tui lapides eius, & puluerem eius miserabilem. Et timebunt gentes nomen domini, & vniuersi reges terra gloriam tuam. Quia ædificauit dominus Sion: apparuit in gloria sua. Respexit ad orationem vacui, & non despexit orationem eorum. Scribatur hoc in generatione nouissima, & populus qui creabitur laudabit dominum. Quoniam prospexit de excelso sanctuario suo: dominus de caelo terram contempletus est. Vt audiret gemitum vindictæ, vt solueret filios mortis. Vt narretur in Sion nomen domini, & laudatio eius in Hierusalem. Cum congregati fuerint populi simul, & regna vt seruiant domino. Afflixit in via fortitudinem meam: abbreviauit dies meos. Dicã Deus meus ne rapias me in medio dierum meorum: in generatione generationum anni tui. A principio terram fundasti, & opus manuum tuarum caeli. Ipsi peri-

bunt, tu autem stabis, & omnes quasi vestimentum atterentur: quasi pallium mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem ipse es, & anni tui non deficient. Filij seruorum tuorum habitabunt, & semen eorum ante faciem tuam perseverabit.

DAVID. P S A L M V S C I I I.

Benedic anima mea domino, & omnia viscera mea nomini sancto eius. Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnium retributionum eius. Qui propitiatur cunctis iniquitatibus tuis, & sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de corruptione vitam tuam, & coronat te in misericordia, & miserationibus. Qui replet bonis ornamentum tuum: inuouabitur sicut aquila iuuentus tua. Faciens iustitias dominus, & iudicia cunctis qui calumnias sustinent. Noras fecit vias suas Moyssi: filijs Israel cogitationes suas. Misericors & clemens dominus: patiens & multa miserationis. Non in sempiternum iudicabit: neque in æternum irascetur. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quantum enim excelsus est caelum terra: tantum confirmata est misericordia eius super timentes eum. Quantum longe est oriens ab occidente: tantum longe fecit à nobis scelera nostra. Sicut miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se. Ipse enim nouit plasmationem nostram: recordatus est quia puluis sumus. Homo quasi herba dies eius: sicut flos agri sic florebit. Quia spiritus pertransiet eum, & non subsistet: & nõ cognosceret eum ultra locus eius. Misericordia autem domini ab æterno, & vsq; in æternum super timentes eum: & iustitia eius in filijs filiorum. His qui custodiunt pactum eius, & recordantur preceptorum eius ad faciendã ea. Dominus in caelo stabiliiuit thronum suum, & regnum illius omnium dominatur. Benedicite domino angeli eius, sortes robore, facientes verbum eius: obediens voci sermonis eius. Benedicite domino omnes exercitus eius, ministri eius qui facitis placitum illius. Benedicite domino vniuersa opera eius in omnibus locis potestatis eius: benedicite anima mea domino.

P S A L M V S C I V.

Benedic anima mea domino, domine Deus meus magnificatus es nimis: gloria & decore indutus es. Amictus luce quasi vestimento: extendens caelos vt pellem. Qui tegis aquis coenacula eius: qui ponis nubes currum tuum: qui ambulat super pennas ventii. Qui facies angelos tuos spiritus: ministros tuos ignem vrentem. Qui fundasti terram super balem suam: non commouebitur in seculum & in seculum. Abyllo quasi vestimento operuisti eam: super montes stabunt aquæ. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitruu tui formidabunt. Ascendunt montes & descendunt campi, ad locum quem fundasti eis. Terminu posuisti quæ non pertransibunt: nec reuertentur vt operiant terram. Qui emittis fontes in cõuallibus, vt inter medios montes fluant. Vt bibant omnia animalia regionu, & reficiat onager sitim suam. Super ea volucres caeli morabuntur: de medio nemorum dabant vocem. Qui irrigas montes de cœnaculis tuis: de fructu operu tuoru implebitur terra. Germinans herbam iumentis, & foenu seruituti hominum, vt educat panẽ de terra. Et vinu lætificat cor hominis ad exhilarandã facie in oleo: panis aut cor hominis roborat. Saturabuntur ligna domini: cedri libani quas plantauit. Ibi aues nidificabunt, miluo abies domus eius.

Montes

Montes excelsi ceruis: petra refugium herinacis. Fecit lunam per tempora: sol cognouit occubitus suū. Posiuit tenebras, & facta est nox: in ipsa mouebuntur omnes bestię syluę. Leones rugientes ad prædam, & quęrentes à Deo escam sibi. Oriente sole recedent, & in speluncis suis cubabunt. Egredietur homo ad opus suum, & ad seruitutem suam vsque ad vesperum. Quā multa sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua. Hoc mare magnum & latum manibus, ibi reptilia innumera: animalia parua cum grandibus. Ibi naues pertranseunt: leuiathan istum plasmasti vt luderet ei. Omnia in te sperāt, vt des cibum eis in tempore suo. Dant te illis colligent: aperiente te manum tuam replebuntur bono. Abscondes vultum tuum & turbabuntur, auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emittes spiritum tuum & creabuntur, & instaurabis faciem terrę. Sit gloria domini in sempiternum: lætabitur dominus in operibus suis. Qui respicit terram & tremet, tangit montes & fumabunt. Cantabo domino in vita mea: psallam Deo meo quamdiu sum. Placeat ei eloquium meum: ego autem lætabor in domino. Deficiant peccatores de terra, & impij vltra non sint: benedic anima mea domino, Halleluia.

PSALMVS CV.

Confitemini domino inuocate nomen eius: nos cras facite populis cogitationes eius. Cantate ei, & psallite ei: loquimini in vniuersis mirabilibus eius. Exultate in nomine sancto eius: lætetur cor quęrentium dominum. Querite dominum & virtutem eius: querite faciem eius iugiter. Recordamini mirabiliū eius quę fecit: signorum & iudiciorum oris eius. Semen Abraham serui eius: filij Iacob electi eius. Ipse dominus Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius. Recordatus est in æternum pacti sui: verbi quod præcepit in mille generationes. Quod pepigit cum Abraham, & iuramenti sui Isaac. Et firmavit illud cum Iacob in lege: cum Israël in pactum sempiternum. Dicens, tibi dabo terram Chanaan: funiculum hereditatis vestrę. Cum essent viri pauci, modici & aduenę in ea. Et transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Non dimisit hominem vt noceret eis, & corripuit pro eis reges. Nolite tangere christos meos, & prophetas meos nolite affligere. Et vocauit famem super terram: omnem virgam panis contriuit. Misit ante faciem eorum virum: in seruum venundatus est Ioseph. Afflixerunt in compepedes eius: in ferrum venit anima eius. Vsque ad tempus donec veniret sermo eius: eloquium domini probauit eum. Misit rex & soluit eum: princeps populorum & dimisit illum. Posuit eum dominum domus suę, & principem in omni possessione sua. Vt erudiret principes eius secundum voluntatem suam, & senes eius sapientiam doceret. Et ingressus est Israël Aegyptum, & Iacob aduena fuit in terra Chā. Et crescere fecit populum suum nimis, & roborauit eū super hostes eius. Conuertit cor eorū vt odio haberent populum eius, vt dolose agerent contra seruos illius. Misit Moyses seruum suum: Aaron quem elegit sibi. Posuit in eis verba signorum suorum, & portetorum in terra Chā. Misit tenebras & contenebrauit, & non fuerunt increduli verbis eius. Commutauit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum. Ebulliuit terra eorum rana: in cubilibus regum eorum. Dixit & venit musca omnimoda: scinifes in vniuersis ter-

minis eorum. Dedit pluuias eorum grandinē: ignem flammantem in terra eorum. Et percussit vineam eorum, & ficum eorum: & confregit lignum finium eorum. Dixit, & venit locusta, & bruchus cuius non erat numerus. Et comedit omne fœnum terrę eorum, & deuorauit fructum terrę eorum. Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias vniuersi partus eorum. Et eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus. Lætata est Aegyptus cum egredierentur: quoniam irruerat terror eorum super eos. Expandit nubem in tentorium, & ignem vt luceret nocte. Petierunt & adduxit ortigometram, & pane cœli saturauit eos. Aperuit petram & fluxerunt aquę: concurrerunt in aridis flumina. Quia recordatus est verbi sancti sui: cum Abraham seruo suo. Et eduxit populum suum in lætitia: laudātes electos suos. Et dedit eis terras gentium, & laborem tribuum possederunt. Vt custodirent ceremonias eius, & leges eius seruarent, Halleluia.

Halleluia.

PSALMVS CVI.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in æternū misericordia eius. Quis loquetur fortitudines domini: auditas faciet omnes laudes eius. Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. Recordare mei domine in repropitiacione populi tui: visita me in salutaris tuo. Vt videā bona electorum tuorum, & læter in lætitia gētis tuę: & exultem cum hæreditate tua. Peccauimus cum patribus nostris: iniquę fecimus, impię egimus. Patres nostri in Agypto non intellexerunt mirabilia tua, non sunt recordati multitudinis misericordię tuę: & ad iracundiam prouocauerunt super mare in mari rubro. Saluauit autem eos propter nomen suum, vt ostenderet fortitudinē suam. Et comminatus est mari rubro, & aruit: & transduxit eos per abyssos quasi in deserto. Et saluauit eos de manu odientis, & redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua hostes eorum: vnus de ipsis non superfuit. Et crediderunt verbis eius: cecineruntq; laudem eius. Cito obliui sunt operum illius: nec expectauerunt voluntatem eius. Et desiderauerunt desiderium in deserto, & tentauerunt Deum in solitudine. Et dedit eis petitionem ipsorū, & misit tenuitatem in animam eorum. Et zelati sunt Moyses in castris: Aaron sanctum domini. Aperia est terra, & deuorauit Dathan, & operuit synagogam Abyram. Et succensus est ignis in synagoga eorum: flamma excussit impios. Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt conflatile. Et mutauerunt gloriam suam, in similitudine bouis comedentis fœnum. Obliti sunt Dei saluatoris sui: qui fecit magna in Agypto. Mirabilia in terra Cham: terribilia super mare rubrum. Dixit ergo vt contereret eos: nisi Moyses electus eius steriffet medius contra faciē illius, vt conuerteret indignationem eius, vt non interficeret. Et despexerunt terram desiderabilem: nec crediderunt sermoni eius. Et murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem domini. Et eleuauit manum suam super eos, vt deiceret eos in deserto. Et vt deiceret semen eorum in gentibus, & dispergeret eos in terris. Et consecrati sunt Beelphegor, & comederunt victimas mortuorum. Et concitauerunt eum in studijs suis, & percussit eos plaga. Stetit autem Phinees, & diiudicauit: & est retēta percussio. Et reputatum est ei in iustitiam: in generatione & generatione vsque in æternum. Et prouocauerunt eum super

A aquam cōtradictionis, & afflictus est Moyses propter eos. Quia prouocauerūt spiritum eius, & praecepit labijs suis. Nō exterminauerunt populos: quos dixit dominus eis. Et commixti sunt gentibus, & didicerunt opera eorum. Et seruierunt sculptilibus eorum, & factum est eis in scandalū. Et immolauerūt filios suos, & filias suas dæmonibus. Et effuderunt sanguinem innocētem: sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quos immolauerunt sculptilib. Chanaan: & polluta est terra sanguinibus. Et coinquinati sunt in operibus suis, & fornicati sunt in studijs suis. Iratus est itaq; furor domini in populum suum, & abominatus est hereditatem suam. Et dedit eos in manu gētiū, & dominati sunt eorum qui oderunt eos. Et affixerunt eos inimici sui, & humiliati sunt sub manu eorum. Multis vicibus liberauit eos: ipsi verō prouocabant in cōsilijs suis, & humiliati sunt propter iniquitates suas. Et vidit tribulationem eorum: cum audiret eos rogantes. Et recordatus est pacti sui cum eis, & poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae. Et dedit eos miserabiles: coram omnibus qui cōperant eos. Salua nos domine Deus noster, & congrega nos de gentibus vt confiteamur nomini sancto tuo, & canamus in laude tua. Benedictus dominus Deus Israēl ab aeterno, & vsque in aeternum: & dicit omnis populus, amen, Halleluia.

P S A L M V S C V I I I

B Confitemini domino quoniam bonus: quoniā in aeternum misericordia eius. Dicāt qui redempti sunt à domino: quos redemit de manu hostis. Et de terris congregauit eos, ab oriente & occidente: ab aquilo & mari. Errauerunt in solitudine, in deserta via: ciuitatem quae habitaretur non repperunt. Esurientes & sitientes: anima eorum in ipsis desiebat. Et clamauerunt ad dominum in tribulatione sua: de afflictione eorum eripuit eos. Et duxit illos per viam rectam, vt venirent in ciuitatem habitabilem. Confiteantur domino misericordias eius, & mirabilia eius in filios hominum. Quia saturauit animam vacuā, & animam esurientē impleuit bonis. Habitātes in tenebris & umbra mortis: alligatos inopia & ferro. Quia prouocauerunt sermones Dei, & consiliū excelsi blasphemauerūt. Et humiliavit in labore cor eorum: ceciderunt, & non erat qui adiuuaret. Et clamauerunt ad dominum in tribulatione sua, & de angustijs eorū saluauit eos. Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorū dirupit. Cōfiteantur domino misericordias eius, & mirabilia eius in filios hominum. Quia contriuit portas aëreas, & vedes ferreos confregit. Stultos propter viam scelis eorum, & propter iniquitates afflictos. Omnem cibum abominata est anima eorum, & accesserunt ad portas mortis. Et clamauerunt ad dominum in tribulatione sua: de angustijs eorum saluauit eos. Misit verbum suum, & sanauit eos: & saluauit de interitu eorū. Confiteantur domino misericordias eius, & mirabilia eius in filios hominum. Et immolent hostias gratiarum, & narrent opera eius in laude. Qui descēdunt mare in nauibus: facientes opus in aquis multis. Ipsi viderūt opera domini, & mirabilia eius in profundo. Dixit, & surrexit ventus tempestatis: & eleuauit gurgites eius. Ascendunt in caelum, & descendunt in abyssos: anima eorum in afflictione consumitur. Obsupuerūt & intremuerunt quasi ebrius: & vniuersa sapiētia eorum absorpta est. Clamabūt autē ad dominum in tribulatione sua, & de angustia eorum educet eos. Statuet tur-

C binem in tranquillitatē, & silebunt fluctus eius. Latrābunt quoniā quieuerunt, & deducet eos ad portum quem voluerunt. Confiteatur domino misericordias eius, & mirabilia eius in filios hominum. Et exaltent eum in ecclesia populi, & in cathedra seniorum laudent eum: Ponet flumina in desertum, & fontes aquarum in sitim. Terram fructiferam in saluginem: pra malitia habitatorum eius. Ponet desertum in paludes aquarum, & terram inuiā in fontes aquarum. Et collocabit ibi esurientes, & formabunt urbem ad habitandum. Et serent agros, & plantabunt vineas: & facient fruges germina. Et benedicet eis & multiplicabuntur nimis, & pecora eorum nō minuet. Imminuta sunt aurē & afflictā, propter angustiam mali & doloris. Et effundet despectionem super principes, & errare eos faciet in solitudine de via. Et subleuabit pauperem de inopia, & ponet quasi gregem familias, videbunt recti, & letabuntur: & omnis iniquitas contrahet os suum. Quis sapiens, & custodiet haec: & intelligit misericordias domini.

¶ Canticum Psalmus David.

P S A L M V S C V I I I I

D Paratum cor meum Deus: cantabo & psallam sed & gloria mea. Consurge psalteriū & cithara, confurgā mane. Cōfitebor tibi in populis domine, & cantabo te in nationibus. Quoniā magna super caelos misericordia tua, & vsq; ad aethera veritas tua. Exaltare super caelos deus, & super omnem terram gloria tua. Vt liberentur dilecti tui: salua dextera tua, & exaudi me. Deus locutus est in sanctuario suo, gaudebo, diuidam Sichē, & vallem Socoth dimictiar. Meus est Galaad, & meus est Manasse, & Ephraim hereditas capitibus mei: Iuda dux meus. Moab lebes peluis meae, super Idumaeā projiciam calciamentum meum: cum Philistinum foederabor. Quis deducet me in ciuitatem munitam: quis deducet me vsq; in Idumaeam? Nonne tu Deus qui proieceras nos, & non exieras Deus in exercitibus nostris? Da nobis auxilium in tribulatione: vana est enim salus ab homine. In Deo erimus fortes, & ipse conculcabit hostes nostros.

¶ Victori Psalmus David.

P S A L M V S C I X

D Deus laudabilis mihi, ne taceas. Quia os impij, & dolosi contra me apertum est: locuti sunt de me lingua mēdacij. Verbis odij circūdederūt me, & expugnauerunt me frustra. Pro eo quod eos diligebam, aduersabantur mihi: ego autē orabam. Et posuerunt cōtra me malum pro bono, & odium pro dilectione mea. Cōstitue super eum impiū, & satan stet à dextris eius. Cum fuerit iudicatus, exeat condemnatus: & oratio eius sit in peccatum. Fiat dies eius parui: episcopatum eius accipiat alter. Sint filij eius pupilli, & vxor eius vidua. Instabiles vagentur filij eius, & mendicet: & querantur in parietinis suis. Scrutetur exactor vniuersa quae habet, & diripiant alieni labores eius. Non sit qui eius misereatur: nec qui clemens sit in pupillos eius. Fiat nouissimum eius interitus: in generatione altera deleatur nomen eius. Redeat in memoriā iniquitas patrum eius apud Deū, & iniquitas matris eius non deleatur. Sint cōtra dominū semper: & intereat de terra memoria eorū. Eo quod non est recordatus facere misericordiā: & persecutus est virum inopē, & pauperem: & punctum corde vt interficeret. Et dilexit maledictionē, quae veniet ei: & noluit benedictionem, quae elongabitur ab eo. Et indutus est maledictione quasi vestimento suo, & ingreditur quasi

aqua

aqua in viscera eius: & quasi oleum in ossa eius. Sit ei quasi pallium quo circumdatur, & quasi cingulum quo semper accingitur. Hæc est retributio his qui aduersantur mihi à domino, & qui loquuntur malum contra animam meam. Tu autem domine Deus fac mecum propter nomen tuum: quoniam bona est misericordia tua, libera me. Quoniam egenus, & pauper sum: & cor meum vulneratum est intrinsecus. Quasi umbra cum inclinatur abductus sum, & excussus quasi locusta. Genua mea vacillauerunt à ieiunio, & caro mea immutata est absque oleo. Et ego factus sum opprobrium eis: videntes me mouerunt caput suum. Adiuua me domine Deus meus: salua me secundum misericordiam tuam. Et sciât quoniam manus tua hæc: tu domine fecisti eam. Maledicent illi, & tubenedices: restiterunt, & confundentur: seruus autem tuus lætabitur. Induantur aduersarij mei confusione, & operiantur quasi vestimento confusione sua. Confitebor domino vehementer in ore meo, & in medio populorum laudabo eum. Quoniam stabit à dextris pauperis, vt saluet à iudicibus animam eius.

¶ *Halleluia.*

PSALMVS CX.

Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam fortitudinis tuæ emittet dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis tuæ: in montibus sanctis quasi de vulua oriatur tibi ros adulescentiæ tuæ. Iuravit dominus & non poenitebit eum, tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Dominus à dextera tua, percussit in die furoris sui reges. Iudicabit in gentibus, impleuit valles: percussit caput in terra multa. De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.

¶ *Halleluia.*

PSALMVS CXI.

Confitebor domino in toto corde: in consilio iustorum & congregatione. Magna opera domini exquirenda in cunctis voluntatibus suis. Gloria, & decor opus eius: & iustitia eius perseverans semper. Memoriam fecit mirabilium suorum: clemens & misericors dominus. Escam dedit timentibus se: memor erit in sempiternum pacti sui. Fortitudinem operum suorum annuntiabit populo suo, vt det eis hereditatem gentium. Opus manuum eius veritas, & iudiciū: fidelia omnia præcepta eius. Firmata in sempiternū iugiter: facta in veritate & æquitate. Redemptionem misit populo suo, mandauit in æternum pactum suū: sanctum & terribile nomen eius. Principium sapientiæ: timor domini, doctrina bona cunctis qui faciunt eam: laus eius perseverat iugiter.

¶ *Halleluia.*

PSALMVS CXII.

Beatus vir qui timet dominum: in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius: generatio iustorum benedicetur. Substantia, & diuitia in domo eius: & iustitia eius perseverans semper. Ortum est in tenebris lumen iustis: clemens & miserator & iustus. Bonus vir clemens & foenerans: dispensabit verba sua in iudicio. Quia in æternum non commouebitur: memoria sempiterna erit iustus. Ab auditu malo non timebit: paratum cor eius confidens in domino. Firmum cor eius non timebit: donec aspiciat in hostibus suis. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius permanet in æternum: cornu eius exaltabitur in

gloria. Impius videbit, & irascetur: dentibus suis fremdet, & tabescet: desiderium impiorum peribit.

¶ *Halleluia.*

PSALMVS CXIII.

Laudate serui dominum: laudate nomen domini. Sit nomen domini benedictum: a modo & vsque in æternum. Ab ortu solis vsque ad occasum eius: laudabile nomen domini. Excelsus super omnes gentes dominus: supra cælum gloria eius. Quis vt dominus Deus noster: qui in excelsis habitans. Humilia respicit: in cælo & in terra. Suscitans de terra inopem, & de stercore eleuat pauperem. Vt eum federe faciat cū principibus: cum principibus populi sui. Qui collocat sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

¶ *Halleluia.*

PSALMVS CXIV.

Cum egrederetur Israël de Aegypto: domus Iacob de populo barbaro. Factus est Iudas in sanctificatione eius: Israël potestas eius. Mare vidit & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum. Montes substernerunt quasi arietes: colles quasi filij gregis. Quid tibi est mare quia fugisti: Iordanis quia conuersus es retrorsum. Mores subsultastis quasi arietes: colles quasi filij gregis. A facie domini contremiscit terra: a facie Dei Iacob. Qui conuertit petram in paludes aquarum: silicem in fontes aquarum. Non nobis domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam: propter misericordiam tuam, & veritatem tuam. Ne dicant gentes: vbi est Deus eorum? Deus autem noster in cælo: vniuersa quæ voluit fecit. Idola gentium argentum, & aurum: opus manuum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient: nasum habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: nec sonabunt in gutture suo: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Israël confidit in domino: auxiliator & protector eorum est. Domus Aarō confidit in domino: auxiliator & protector eorum est. Timentes dominū confidunt in domino: auxiliator & protector eorū est. Dominus recordatur est nostri, benedicet, benedicet domui Israël: benedicet domui Aarō. Benedicet timentibus dominū: paruis & magnis. Addat dominus super vos: super vos & super filios vestros. Benedicet vos à domino: qui fecit cælum & terram. Cælum cælorum domino: terram autem dedit filiis hominum. Non mortui laudabunt dominum: nec omnes qui descendunt in silentium. Sed nos benedicemus domino: a modo & vsque in æternum.

¶ *Halleluia.*

PSALMVS CXV.

Dilexi quoniam exaudivit dominus vocem deprecationis meæ. Inclinauit aurem suam mihi, & in diebus meis inuocabo. Circūdederunt me funes mortis, &munitiones inferni inuenerunt me: angustiam & dolorem reperi. Et nomen domini inuocaui: obsecro domine libera animam meam. Clemens dominus, & iustus: & Deus noster misericors. Custodit paruulos dominus: attenuatus sum, & saluauit me. Reuertere anima mea in requiem tuam: quia dominus reddet tibi. Quia eruet animam meam de morte: oculos meos à lacrymis, pedes meos ab offensa. Deambulabo coram domino, in terris viuētium. Credidi propter quod locutus sum: ego afflictus sum nimis. Ego dixi in stupore meo: omnis homo mendacium. Quid reddam domino, pro omnibus quæ terri-

A buit mihi, Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo. Vota mea domino reddam, coram omni populo eius. Gloriosa in conspectu domini, mors sanctorum eius. Obsecro domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, filius ancillæ tuæ: dissoluisti vincula mea. Tibi immolabo hostiam laudis, & in nomine domini inuocabo. Vota mea domino reddam, in conspectu omnis populi eius. In atrijs domus domini, in medio tui Hierusalem, Halleluia.

P S A L M V S CXVI.

Laudate dominum omnes gētes: collaudate eum vniuersi populi. Quia confortata est super nos misericordia eius, & veritas domini in æternum, Halleluia.

P S A L M V S CXVII.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius. Dicit nūc Israël: quoniam in æternum misericordia eius. Dicit nunc domus Aaron: quoniam in æternum misericordia eius. Dicant nunc qui timent dominum: quoniam in æternum misericordia eius. Cum tribularer inuocaui dominum, & exaudiuit me in latitudine dominus. Dominus meus es: non timebo, quid faciat mihi homo. Dominus mihi auxiliator, & ego despiciā odientes me. Melius est sperare in domino, quā sperare in homine. Melius est sperare in domino, quā sperare in principibus. Omnes gentes circumdederunt me, & in nomine domini: quia vltus sum eas. Circūdederunt me, & obfederunt me: sed in nomine domini, quia vltus sum eas. Circūdederunt me quasi apes: extinctæ sunt quasi ignis spinarum in nomine domini, quia vltus sum eas. Impulsus pellebar vt caderem, & dominus sustentauit me. Fortitudo mea, & laudatio mea dominus: & factus est mihi in salutem. Vox laudis, & salutis in tabernaculis iustorum: dextera domini fecit fortitudinem. Dextera domini excelsa, dextera domini fecit fortitudinem. Non moriar, sed viam, & narrabo opera domini. Corripiens arguit me dominus, & morti non tradidit me. Aperite mihi portas iustitiæ: ingressus eas confitebor domino. Hæc porta domini: iusti intrabunt in eam. Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: factus est in caput anguli. A domino factum est istud, & hoc est mirabile in oculis nostris. Hæc est dies quam fecit dominus: exultemus, & lætemur in ea. Obsecro domine, salua obsecro: obsecro domine, prosperare obsecro. Benedictus qui venit in nomine domini: benediximus vobis de domo domini. Deus dominus, & apparuit nobis: frequentate solennitatem in frondosis, vsque ad cornua altaris. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabor te. Confitebor domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius.

P S A L M V S CXVIII.

Beati immaculati in via: qui ambulant in lege domini. Beati qui custodiunt testimonia eius: in toto corde requirunt eum. Nec enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt. Tu mandasti præcepta tua custodiri nimis. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodienda præcepta tua. Tunc non confundar: cum respexero ad omnia mandata tua. Confitebor tibi in directione cordis: cum didicero iudicia iustitiæ tuæ. Præcepta tua custodiam: ne derelinquas me nimis. In quo corrigit iuuenis semitam suā, cum custodierit verba tua. In toto corde meo exqui-

siui te: ne errare me facias à mandatis tuis. In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Benedictus tu domine, doce me præcepta tua. In labijs meis narraui omnes iustitias oris tui. In via testimoniorum tuorum delectatus sum: quasi in omnibus diuitijs. In præceptis tuis meditabor, & contemplantor semitas tuas. In iustitijs tuis delectabor: non obliuiscar verba tua. Retribue seruo tuo: viam, & custodiam verba tua. Reuela oculos meos, & videbo mirabilia de lege tua. Aduena ego sum in terra: ne abscondas à me mandata tua. Desiderauit anima mea desiderare, iudicia tua in omni tempore. Incepisti superbos: maledicti qui recedunt à mandatis tuis. Aufer à me opprobrium, & contemptum: quoniam testimonia tua custodiui. Etenim sederunt principes, aduersum me loquebantur: seruus autem tuus meditabatur præcepta tua. Sed & testimonia tua voluntas mea quasi viri amicissimi mei. Adhæsit pulueri anima mea: viuifica me iuxta verbum tuum. Vias meas exposui, & exaudisti me: doce me iustitiam tuam. Viam præceptorum tuorum fac me intelligere, & loquar in mirabilibus tuis. Distillauit anima mea præstultitia: serua me iuxta eloquium tuum. Viam mendaciæ aufer à me, & legem tuam dona mihi. Viam fidei elegi: iudicia tua proponebam. Adhæsi testimonijs tuis: domine ne confundas me. Viam mandatorum tuorum curram: quoniam dilatasti cor meum. Ostende mihi domine viam præceptorum tuorum, & custodiam eam per vestigium. Doce me, & obseruabo legem tuam: & custodiam eam in toto corde. Deduc me in semita mandatorum tuorum: quia ipsam volui. Inclina cor meum ad testimonia tua, & non ad avaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me. Suscita seruo tuo eloquium tuum, in timorem tuum. Auerte opprobrium meum quod reueritus sum: quia iudicia tua bona. Ecce desideravi præcepta tua, in iustitia tua viuifica me. Et veniāt mihi misericordiae tuæ domine, & salus tua iuxta eloquium tuum. Et respondebo exprobrantibus mihi sermonem: quia speravi in sermone tuo. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsque nimis: quoniam iudicia tua expectaui. Et custodiam legem tuam iugiter: in sempiternum, & vltra. Et ambulabo in spatio: quia præcepta tua quaesui. Et loquar in testimonijs tuis coram regibus, & non confundar. Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi. Et leuabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & loquar in præceptis tuis. Memento sermonis seruo tuo: quem me sperare fecisti. Hæc est consolatio mea in afflictione mea: quia eloquium tuum viuificauit me. Superbi deridebant me nimis: à lege tua non declinaui. Recordatus sum iudiciorum tuorum à saculo domine, & consolatus sum. Horror obtinuit me ab impijs, qui dereliquerunt legem tuam. Carmina erant mihi præcepta tua, in domo peregrinationis meæ. Recordatus sum in nocte nominis tui domine, & custodiui legem tuam. Hoc factū est mihi: quia præcepta tua custodiui. Pars mea domine: dixi vt custodiam verbum tuum. Deprecatus sum vultum tuū in toto corde: miserere mei secundum eloquium tuum. Recogitaui vias meas, & conuersti pedes meos ad testimonia tua. Festinaui, & non neglexi custodire mandata tua. Funes impiorum implicauerunt me: legem tuam non sum oblitus. Medio noctis surgam ad confitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuæ.

E Particeps sum ego omnium timētiū te, custodien-
tium praecepta tua. Misericordia tua domine cōpleta
est terra, praecepta tua doce me. Benefecisti seruo
tuo: domine secundū verbum tuū. Bonum sermo-
nem, & scientiam doce me: quia mandatis tuis cre-
didī. Antequam audirem, ego ignorauī: nūc autem
eloquium tuum custodiui. Bonus es tu, & beneficus:
doce me praecepta tua. Applicabāt mihi mendacium
superbi: ego autem in toto corde seruabam prae-
cepta tua. Incrassatum est velut adeps cor eorum, &
ego in lege tua delectabar. Bonum mihi quia affli-
ctus sum, vt discerem praecepta tua. Melior est mihi
lex oris tui: super millia auri, & argenti. Manus
tuas fecerunt me, & firmauerunt me: doce me, &
discam mandata tua. Quia timent te videbunt me,
& latrabuntur: quia sermonem tuum expectaui.
Scio domine quia iustum iudicium tuum, & verē af-
flicisti me. Sit obsecro misericordia tua in conso-
latione mea: sicut locutus es seruo tuo. Veniant
mihi misericordiae tuae, & viam: quia lex tua de-
lectatio mea. Confundantur superbi, quoniam ini-
quē contriuerunt me: ego autem loquar in praecep-
tis tuis. Reuertantur ad me qui timent te, & qui
sciunt testimonium tuū. Fiat cor meum perfectum
in praeceptis tuis, vt non confundar. Defecit in salu-
tare tuum anima mea: in verbum tuum expectaui.
Consumpti sunt oculi mei in verbum tuum: dicen-
tes, quando consolaberis me. Et cum essem quasi v-
ter in pruina: praecepta tua non sum oblitus. Quot
sunt dies serui tui: quando facies in persequentibus
me iudicium. Foderunt mihi superbi foueas, quae
non erant iuxta legem tuam. Omnia mandata tua
vera: falso persequuti sunt me, auxiliare mihi. Paulo-
minus consumpsit me in terra: ego autem non
dimisi praecepta tua. Secundum misericordiam tuam
viuifica me, & custodiam testimonium oris tui. In
aeternum, domine, verbum tuum perstat in caelo. In
generatione, & generatione fides tua: fundasti ter-
ram, & stat. Iudicio tuo stant vsq; hodie: quia omnia
seruiunt tibi. Nisi quōd lex tua delectatio mea: fortē
perissem in pressura mea. In sempiternum non ob-
liuiscar praeceptorū tuorum: quia per ipsa viuificasti
me. Tuus ego sum, salua me: quoniam praecepta tua
quaesui. Me expectauerunt impij, vt perderent me:
testimonium tuum considerabo. Omnis consum-
mationis vidi finem: latum mandatum tuū nimis.
Quam dilexi legem tuam: tota die meditatio mea.
Super inimicos meos instruis me mandato tuo: quia
in sempiternum hoc est mihi. Super omnes qui do-
cebant me eruditus sum: quia testimonia tua medi-
tatio mea. Super senes intellexi: quia praecepta tua
seruaui. Ab omni semita mala prohibui pedes meos,
vt custodirem verba tua. A iudicijs tuis non recessi:
quia tu illuminasti me. Quam dulce gutturi meo
eloquium tuum, super mel ori meo. Praecepta tua
considerabam: propterea odi omnem semitam mē-
dacij. Lucerna pedi meo verbum tuū, & lux semitae
meae. Iuravi, & perseuerabo: vt custodiam iustitia
tua. Afflictus sum vsque nimis: domine viuifica me
iuxta verbum tuum. Voluntaria oris mei compla-
ceant tibi domine, & secundū iudicia tua doce me.
Anima mea in manu mea semper, & legis tuae non
sum oblitus. Posuerūt impij laqueum mihi, & a prae-
ceptis tuis non aberravi. Haereditas mea testimo-
nia tua in sempiternum: quia gaudium cordis mei
sunt. Inclinaui cor meum vt facerem iustitias tuas

G propter aeternam retributionem. Tumultuosos o-
diui, & legem tuam dilexi. Protectio mea & securum
meum tu es: verbum tuum expectaui. Recessit a me
maligni, & custodiam mandata Dei mei. Confirma
me secundū verbum tuum, & viam: & noli me
confundere ab expectatione mea. Auxiliare mihi,
& saluus ero: & delectabor in praeceptis tuis iugiter.
Abiecisti omnes qui auersantur praecepta tua: quia
quia mendax cogitatio eorum. Quasi scoriam com-
putasti omnes impios terrae: propterea dilexi testi-
monia tua. Horripilauit à timore tuo caro mea, &
iudicia tua timui. Feci iudicium & iustitiam: ne de-
relinquas me his qui calumniantur me. Sponde pro
seruo tuo in bonum: ne calunnientur me superbi.
Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in elo-
quium iustitiae tuae. Fac cum seruo tuo iuxta miseri-
cordiam tuam, & praecepta tua doce me. Seruus tuus
sum ego, instrue me: & cognoscam testimonia tua.
Tempus est vt facias domine: prauaricati sunt le-
gem tuam. Propterea dilexi mandata tua super au-
rum & topazium. Propterea in vniuersa praecepta
tua direxi: omnem semitam mendacij odio habui.
Mirabilia testimonia tua: idcirco custodiuit ea ani-
ma mea. Ostium sermonum tuorum lucidum, do-
cens paruulos. Os meum aperui & respiraui: quia
mandata tua desiderabam. Respice ad me, & mise-
rere mei: iuxta iudicium diligentium nomen tuū.
Gressus meos firma in sermone tuo, & non des pote-
statem in me vniuersae iniquitati. Redime me à ca-
lumniā hominum, & custodiam praecepta tua. Vul-
tum tuum ostende seruo tuo, & doce me praecepta
tua. Riui aquarum fluebant de oculis meis: quia non
custodierunt legem tuam. Iustus es domine, & rectū
iudicium tuum. Praecepisti iustitiam testimonij tui,
& veritatem tuam nimis. Consumpsit me zelus
meus: quia oblitus sunt verborum tuorum hostes mei.
Probatus sermo tuus nimis, & seruus tuus dilexit il-
lum. Paruulus ego sum, & contemptibilis: sed prae-
cepta tua non sum oblitus. Iustitia tua, iustitia sem-
piterna, & lex tua veritas. Tribulatio, & angustia
inuenerunt me: mandata tua voluntas mea. Iusta
testimonia tua semper: doce me, & viam. Clamaui
in toto corde, exaudi me domine: praecepta tua
custodiam. Innuocaui te, saluum me fac, & custo-
diam testimonia tua: Surgebam adhuc in tenebris,
& clamabam: verbum tuum expectans. Praeuenie-
bant oculi mei vigilias, vt meditarer in sermonibus
tuis. Vocem meā exaudi iuxta misericordiam tuam:
domine secundū iudicium tuum viuifica me. Ap-
propinquauerunt persecutores mei sceleri, & à lege
tua procul facti sunt. Prope es tu domine, & omnia
mandata tua veritas. A principio noui de testimo-
nijs tuis: quōd in aeternum fundaueris ea. Vide af-
flictionem meā, & eripe me: quia legis tuae non sum
oblitus. Iudica causam meam, & redime me: in ser-
mone tuo viuifica me. Longe ab impijs salus: quia
praecepta tua non quaesierunt. Misericordiae tuae mul-
tae domine: iuxta iudicia tua viuifica me. Multi qui
persequuntur me, & affligunt me: à testimonijs tuis
nō declinaui. Vidi prauaricatores tuos, & merebam:
quia verbum tuum non custodierunt. Vide quo-
niam praecepta tua dilexi: domine iuxta miseri-
cordiam tuam viuifica me. Caput verborum tuorum
veritas, & in sempiternum omne iudicium iustitiae
tuae. Principes persecuti sunt me sine causa: verba
autem tua timuit cor meum. Gaudens ego sum

A in eloquio tuo: sicut qui inuenit spolia multa. Mendacium odio habui, & detestatus sum: legem tuam dilexi. Septies in die laudauit te: super iudicijs iustitiæ tuæ. Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Expectaui salutare tuum domine, & mandata tua feci. Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea nimis. Custodiui præcepta tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Ingrediat laus mea coram te domine: secundum verbum tuum doce me. Veniat deprecatio mea ante vultum tuum: secundum eloquium tuum libera me. Fundant labia mea hymnum: docebis enim me præcepta tua. Loquetur lingua mea sermonem tuum: quia omnia mandata tua iusta. Sit manus tua auxiliatrix mea: quia præcepta tua elegi. Desideraui salutare tuum domine, & lex tua voluntas mea. Viuet anima mea, & laudabit te: & iudicia tua auxiliabuntur mihi. Erraui quasi ouis perdita, quare seruum: quia mandatorum tuorum non sum oblitus.

¶ *Canticum graduum.*
PSALMVS CXXIX.

Ad dominum in tribulatione mea clamaui, & exaudiuit me. Domine libera animam meam à labio mendacij, à lingua dolosa. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus iuniperorum. Heu mihi quia peregrinatio mea prolongata est: habitauit cum tabernaculis Cedar. Multum peregrina est anima mea, cum odientibus pacem. Ego pacifica loquebar, & illi bellantia.

¶ *Canticum graduum.*
PSALMVS CXX.

Bleuauit oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à domino, factore cæli & terræ. Non det in commotionem pedem tuum: nec dormitet qui custodit te. Ecce non dormitabit: neque dormiet, qui custodit Israel. Dominus custodit te: dominus protectio tua super manum dexteram tuam. Per diem sol non percutiet te, neque luna per noctem. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam. Dominus custodiat exitum tuum & introitum tuum: amodo & vsque in æternum.

¶ *Canticum graduum David.*
PSALMVS CXXI.

Lætatus sum eo quod dixerit mihi: in domum domini ibimus. Stantes erant pedes nostri, in portis tuis Hierusalem. Hierusalem quæ ædificatur, vt ciuitas cuius participatio eius simul. Quia ibi ascenderunt tribus, tribus domini testimonium Israel: ad confitendum nomini domini. Quia ibi sederunt sedes in iudicio: sedes domui David. Rogate pacem Hierusalem: sit bene his qui diligunt te. Sit pax in muris tuis: abundantia in domibus tuis. Propter fratres meos, & amicos meos: loquar pacem tibi propter domum domini Dei nostri: quæram bona tibi.

¶ *Canticum graduum David.*
PSALMVS CXXII.

Ad te leuauit oculos meos, qui habitas in cælis. Ecce sicut oculi seruorum ad manum domino-rum suorum: sicut oculi ancillæ ad manum dominae suæ, sic oculi nostri ad dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione. Multum repleta est anima nostra opprobrio abundantium, & despectione superborum.

¶ *Canticum graduum David.*
PSALMVS CXXIII.

Nisi dominus fuisset in nobis: dicat nunc Israel. Nisi dominus fuisset in nobis: cum exurgerent super nos homines. Forfitan viuos absorbuissent nos: cum iraceretur furor eorum super nos. Forfitan aquæ circumdedissent nos: torrens transfisset super animam nostram. Forfitan transfissent super animam nostram, aquæ superbiæ. Benedictus dominus: qui non dedit nos in prædam dentibus eorum. Anima nostra quasi auis erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Auxilium nostrum in nomine domini: qui fecit cælum & terram.

¶ *Canticum graduum.*
PSALMVS CXXIV.

Qui confidunt in domino: quasi mons Sion, immobilis in æternum habitabilis. Hierusalem montes in circuitu eius, & dominus in circuitu populi sui: amodo & vsque in æternum. Quia non requiescet virga impietatis super sortem iustorum, vt non mittant iusti in iniquitatem manus suas. Benefac domine bonis, & rectis corde. Qui autem declinant ad prauitates suas, deducet eos dominus cum his qui operantur iniquitatem: pax super Israel.

¶ *Canticum graduum.*
PSALMVS CXXV.

Cum conuerteret dominus captiuitatem Sion: facti sumus quasi somniantes. Tunc implebitur risu os nostrum, & lingua nostra laude: tunc dicent in gentibus: magnificauit dominus facere cum istis. Magnificauit dominus facere nobiscum: facti sumus sicut lætantes. Conuerte domine captiuitatem nostram: sicut riuus in austro. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Qui ambulans ibat & flebat, portans ad seminandum sementem: veniens veniet in exultatione, portans manipulos suos.

¶ *Canticum graduum Salomoni.*
PSALMVS CXXVI.

Nisi dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: nisi dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Frustra est vobis de mane consurgere: postquam sederitis, qui manducatis panem dolorum: sic dabit diligentibus se somnum. Ecce hereditas domini filij: merces fructus ventris. Sicut fagittæ in manu potentis: ita filij iuuentutis. Beatus vir qui impleuit pharetram suam ex ipsis: non confundentur, cum loquentur inimicis suis in porta.

¶ *Canticum graduum.*
PSALMVS CXXVII.

Beatus omnis qui timet dominum: qui ambulat in vijs eius. Laborem manuum tuarum comedes: beatus tu, & bene tibi erit. Vxor tua sicut vitis fructifera in penetralibus domus tuæ: filij tui sicut germina oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur viro: qui timet dominum. Benedicat tibi dominus ex Sion: & videas bona Hierusalem, omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.

¶ *Canticum graduum.*
PSALMVS CXXVIII.

Sæpè expugnauerunt me ab adolescentia mea: dicat nunc Israel. Sæpè expugnauerunt me ab adolescentia mea: sed non potuerunt mihi. Supra ceruicem meam arabant arantes: prolongauerunt sulcum

suum.

suum. Dominus iustus concidet laqueos impiorum. Confundatur & reuertatur retrorsum, omnes qui oderunt Sion. Fiant sicut scenum tectorum, quod statim ut viruerit, arefcet. De quo non implebit manum suam messor, & sinum suum manipulos faciens. De quo non dixerunt transeuntes, benedictio domini super vos: benediximus vobis in nomine domini.

¶ *Canticum graduum.*

PSALMVS CXXXIX.

DE profundis clamaui ad te domine. Domine exaudi vocem meam: fiant aures tuæ intendentes, ad vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obseruabis domine: domine quis sustinebit? Quia tecum est propitiatio: cum terribilis sis. Sustinuit dominum, sustinuit anima mea: & verbum eius expectaui. Anima mea ad dominum: à vigilia matutina vsque ad vigiliam matutinam. Expectet Israel dominum, quia apud dominum misericordia, & multa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

¶ *Canticum graduum Dauid.*

PSALMVS CXXX.

Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: & non ambulauit in magnis, & in mirabilibus super me. Si non proposui, & silere feci animam meam, sicut ablactatus ad marem suam. Ita ablactatus ad me anima mea. Expecta Israel dominum: a modo & vsque in æternum.

¶ *Canticum graduum.*

PSALMVS CXXXI.

Memento domine Dauid, & omnis afflictionis eius. Qui iurauit domino, votum vouit Deo Iacob. Si intrauero in tabernaculum domus meæ: si ascendero super lectum straminis mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Donec inueniam locum domino: tabernaculum Deo Iacob. Ecce audiuius illum in Ephrata: inuenimus illum in regione saltus. Intremus in tabernacula eius: adoremus scabellum pedum eius. Surge domine in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ. Sacerdotes tui induant iustitiam, & sancti tui laudent. Propter Dauid seruum tuum, ne auertas faciem Christi tui. Iurauit dominus Dauid veritatem, non auertetur ab ea: de fructu ventris tui, ponam super sedem tuam. Si custodierint filij tui pactum meum, & testificationem meam quam docuero eos: & filij eorum vsque in æternum, sedebunt super thronum tuum. Quoniam elegit dominus Sion: desiderauit eam in habitaculum sibi. Hæc est requies mea in sempiternum: hic habitabo, quia desideravi eam. Venationem eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo pane. Sacerdotes eius induam salutare, & sancti eius laude laudabunt. Ibi oriri faciam cornu Dauid: parauit lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem florebit diadema eius.

¶ *Canticum graduum Dauid.*

PSALMVS CXXXII.

Ecce quam bonum & quam decorum, habitare fratres in vnum. Sicut unguentum optimum in capite, quod descendit in barbam Aaron: quod descendit super oram vestimentorum eius. Sicut ros Hermon, qui descendit super montana Sion: quoniam ibi mandauit dominus benedictionem, vitam vsque in æternum.

¶ *Canticum graduum.*

PSALMVS CXXXIII.

Ecce benedicite domino, omnes serui domini: qui statis in domo domini in noctibus. Leuate manus vestras ad sanctum, & benedicite dominum. Benedicat te dominus ex Sion, factor cæli & terræ.

¶ *Halleluia.*

PSALMVS CXXXIV.

Laudate nomen domini: laudate serui domini. Qui statis in domo domini: in atrijs domus Dei nostri. Laudate dominum, quoniam bonus dominus: cantate nomini eius, quoniam decens. Quoniam Iacob elegit sibi dominus: Israel in peculium suum. Quia ego scio quod magnus dominus, & dominus noster præ omnibus dijs. Omnia quæ voluit dominus fecit in cælo, & in terra: in mari, & in omnibus abyssis. Leuans nubes de summitatibus terræ, fulgura in pluiam fecit: educens ventos de thesauris suis. Qui percussit primitiua Aegypti: ab homine vsque ad pecus. Emisit signa & portenta in medio tui Aegypti: in Pharaon, & in cunctos seruos suos. Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes. Seon regem Amorrhæorum: & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan. Et dedit terram eorum hereditatem: hereditatem Israel populo suo. Domine nomen tuum in æternum: domine memoriale tuum in generatione, & generatione. Quia iudicabit dominus populum suum, & in seruos suos erit placabilis. Idola gentium argentum & aurum: opera manum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audiunt: sed nec est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Domus Israel benedicite domino: domus Aaron benedicite domino. Domus Leui benedicite domino: timentes dominum benedicite domino. Benedictus dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem, Halleluia.

PSALMVS CXXXV.

Confitemini domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia eius. Confitemini Deo deorum: quoniam in æternum misericordia eius: Confitemini domino dominorum: quoniam in æternum misericordia eius. Qui fecit mirabilia magna solus: quoniam in æternum misericordia eius. Qui fecit cælos in sapientia: quoniam in æternum misericordia eius. Qui firmavit terram super aquas: quoniam in æternam misericordia eius. Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia eius. Solem in potestatem diei: quoniam in æternum misericordia eius. Lunam & stellas in potestatem noctis: quoniam in æternam misericordia eius. Qui percussit Aegyptum cum primitiuis eius: quoniam in æternum misericordia eius. Et eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia eius. In manu valida & brachio extento: quoniam in æternum misericordia eius. Qui diuisit mare rubrum in diuisiones: quoniam in æternum misericordia eius. Et eduxit Israel in medio: quoniam in æternum misericordia eius. Et conuoluit Pharaon & exercitum eius in mari rubro: quoniam in æternum misericordia eius. Qui duxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericordia eius. Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia eius. Et occidit reges magnificos: quoniam in æternam misericordia

cordia

HON
78

A cordia eius. Sion regem Amorrhæorū: quoniam in æternū misericordia eius. Et Og regem Basan: quoniam in æternū misericordia eius. Et dedit terram eorum hæreditatem: quoniam in æternū misericordia eius. Hæreditatem Israel seruo suo: quoniam in æternū misericordia eius. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternū misericordia eius & redemit nos de hostibus nostris: quoniam in æternū misericordia eius. Qui dat panem omni carni: quoniam in æternū misericordia eius. Confitemini Deo cæli: quoniam in æternū misericordia eius.

PSALMVS CXXXVI.

Super flumina Babylonis ibi sedimus, & fleuimus: cum recordaremur Sion. Super falices in medio eius: suspendimus citharas nostras. Quoniam ibi interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos verba carminis, & qui affligebant nos læti: canite nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum domini, in terra aliena? Si oblitus fuero tui Hierusalem, in obliuione sit dextera mea. Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non recordatus fuero tui: si non proposuero Hierusalem, in principio lætitiæ meæ. Memento domine filiorum Edom in die Hierusalem, dicentium, euacuate euacuate: vsque ad fundamentum eius. Filia Babylonis vastata: beatus qui retribuet tibi, vicissitudinem tuam quam tu retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.

Dauid. PSALMVS CXXXVII.

Confitebor tibi domine in toto corde meo: in cōspectu deorū cantabo tibi. Adorabo in templo sancto tuo, & confitebor nomini tuo super misericordia tua, & veritate tua: quia magnificasti super omne nomen eloquium tuū. In die inuocabo, & exaudies me: dilatabis animam meam fortitudinē. Confiteantur tibi domine omnes reges terræ: quoniam audierunt eloquia oris tui. Et cantent in vijs domini: quoniam magna gloria domini. Quoniam excelsus dominus, & humilia respicit: & excelsa de longē cognoscit. Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me: super furorē inimicorū meorū mittes manum tuam, & saluabit me dextera tua. Dominus operabitur pro me, domine misericordia tua in æternū: opera manuum tuarum ne dimittas.

¶ Victorius psalmus Dauid.

PSALMVS CXXXIX.

Domine inuestigasti me, & cognouisti. Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam: intellexisti malum meum de longē. Semitam meam & accubationem meam euentilasti: & omnes vias meas intellexisti. Quia non est eloquium in lingua mea: ecce domine nosti omnia. Retrorsum, & ante formasti me: & posuisti super me manum tuam. Super me est scientia, & excelsior est, non potero ad eam. Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, ibi es tu: si iacero in inferno, ades. Si sumpsero pennas diluculo: habitauero in nouissimo maris. Etiam ibi manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Si dixero, fortē tenebræ operient me: nox quoque lux erit circa me. Nec tenebræ habent tenebras apud te, & nox quasi dies lucet: similes sunt tenebræ & lux. Quia tu possedisti renes meos: orsusq; es me in vtero matris meæ. Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificasti me: mirabilia opera tua, & anima mea nouit nimis.

Non sunt operata ossa mea à te, quibus factus sum in abscondito: imaginatus sum in nouissimis terræ. Informem adhuc me viderunt oculi tui, & in libro tuo oēs scribentur: dies formati sunt, & non est vna in eis. Mihi autē quān honorabiles facti sunt amici tui Deus, quān fortes pauperes eorū. Dinumerabo eos, & arena plures erunt: euigilauit, & adhuc sum tecum. Si occideris Deus impium: viri sanguinum declinate à me. Qui contradicent tibi sceleratē: eleuati sunt frustra aduersarij tui. Nonne odientes te domine odiui, & contra aduersarios tuos distabui. Profecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi. Scrutare me Deus, & cognosce cor meum: proba me, & scito cogitationes meas. Et vide si via doli in me est, & deduc me in via æterna.

¶ Victorius canticum Dauid.

PSALMVS CXL.

Rue me domine ab homine malo: à viris iniquis salua me. Qui cogitauerunt malitias in corde: tota die versati sunt in prælijs. Exacuerunt linguam suam quasi serpens: venenum aspidis sub labijs eorum semper. Custodi me domine de manu impij, à viro iniquitatu serua me: qui cogitauerunt supplantare gressus meos. Absconderunt superbi laqueum mihi, & funibus extendunt rete iuxta semitam: offendiculum posuerunt mihi semper. Dixi domino Deus meus es tu: audi domine vocem deprecationis meæ. Domine Deus fortitudo salutis meæ: protexit caput meū in die belli. Ne des domine desideria impij: scelera eius ne effundantur, & eleuentur semper. Amaritudo contiuuarum meorum: labor laborum eorum operiet eos. Cadent super eos carbones ignis: deiciēs eos in foueas, vt non confurgant. Vir linguosus non dirigetur in terra, virum iniquum mala capient in interitu. Scio quod faciet dominus causam inopis, iudicia pauperum. Attamen iusti confitebuntur nomini tuo: habitabunt recti cum vultu tuo.

¶ Psalmus Dauid.

PSALMVS CXLI.

Domine clamaui ad te, festina mihi: exaudi vocem meam clamantis ad te. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone domine custodiam ori meo: serua paupertatem labiorum meorum. Ne declines cor meum in verbum malum, voluere cogitationes impias cum viris operantibus iniquitatem: neq; comedere in delitijs eorum. Corripiat me iustus in misericordia, & arguat me, oleū amaritudinis non impinguet caput meū: quia adhuc oratio mea pro malitijs eorum. Sublati sunt iuxta petram iudices eorum, & audient verba mea: quoniam decora sunt. Sicut agricola cum scindit terram: sic dissipata sunt ossa nostra in ore inferni. Quia ad te domine Deus oculi mei: in te speraui, ne euacues animam meam. Custodi me de manibus laquei, quem posuerunt mihi: de offendiculis operantium iniquitatem. Incident in rete eius impij: simul autem ego transibo.

¶ Eruditio Dauid, cum esset in spelunca, oratio.

PSALMVS CXLII.

Voce mea ad dominum clamaui: voce mea ad dominum deprecatus sum. Effundam in conspectu eius eloquium meum: tribulationem meam coram illo annuntiabo. Cum anxius in me fuerit spiritus meus: tu enim nosti semitam meam in via hac qua ambulabo, absconderunt laqueum mihi.

Respice

Respice ad dexteram, & vide quia non sit qui agnoscat me: perijt fuga à me, & non qui quærat animam meam. Clamaui ad te domine, dixi tu es spes mea: pars mea in terra viuientium. Ausculta deprecationem meam, quoniam infirmatus sum nimis: libera me à persecutoribus meis, quoniam confortati sunt super me. Educ de carcere animam meam, vt confiteatur nomini tuo: in me coronabuntur iusti, cum retribueris mihi.

¶ *Psalmus David.*

PSALMVS CXLIII.

Domine exaudi orationem meam, ausculta deprecationem meam: in veritate tua exaudi me in iustitia tua. Et non venias ad iudicandum cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Persecutus est enim inimicus animam meam, confregit in terra vitam meam: posuit me in tenebris quasi mortuos antiquos. Et anxius fuit in me spiritus meus: in medio mei sollicitum fuit cor meum. Recordabar dierum antiquorum, meditabar omnia opera tua: facta manuum tuarum loquebar. Expandi manus meas ad te: anima mea quasi terra sitiens ad te semper. Cito exaudi me domine, defecit spiritus meus: ne abscondas faciem tuam à me, & comparabor descendentibus in lacum. Fac me audire mane misericordiam tuam, quoniam in te confido: notam fac mihi viam in qua ambulem, quoniam ad te leuaui animam meam. Libera me de inimicis meis domine: à te protectus sum. Doce me vt faciam voluntatem tuam, quia tu Deus meus: spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Propter nomen tuum domine viuificabis me: in iustitia tua educes de angustia animam meam. Et in misericordia tua dissipabis inimicos meos, & perdes omnes ligantes animam meam: ego enim sum seruus tuus.

David. PSALMVS CXLIV.

Benedictus dominus fortis meus, qui docet manus meas ad prælium: digitos meos ad bellum. Misericordia mea, & fortitudo mea, auxiliator meus, & saluator meus: scutum meum, & in ipso speraui: qui subiecit populos mihi. Domine quid est homo, quia agnoscis eum: filius hominis quia computas eum. Homo vanitati assimilatus est: dies eius quasi umbra pertransiens. Domine inclina cælos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt. Mica fulmine, & dissipa eos: mitte sagittam tuam, & interfice illos. Extende manum tuam de excelso: libera me, & erue me de aquis multis: de manu filiorum alienorum. Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera mendacij. Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi. Qui dat salutem regibus, qui eruit David seruum suum de gladio pessimo. Libera me, & erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum dextera mendacij. Vt sint filij nostri quasi plantatio crescens in adolescentia sua: filie nostre quasi anguli, ornati ad similitudinem templi. Promptuaria nostra plena, & superfundentia ex hoc in illud: pecora nostra in millibus, & innumerabilia in computis nostris. Tauri nostri pingues, non est interruptio, & non est egressus: & non est vlulatus in plateis nostris. Beatus populus cuius talia sunt: beatus populus cuius dominus Deus suus.

¶ *Laudatio David.*

PSALMVS CXLV.

Exaltabo te Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in æternum & vltra. In omni die benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in sempiternum iugiter. Magnus dominus, & laudabilis nimis: & magnificentia eius non est inuentio. Generatio ad generationem laudabit opera tua, & fortitudines tuas annuntiabunt. Decorem gloriae magnitudinis tuae, & verba mirabilium tuorum loquar. Et fortitudinem horribilium tuorum loquentur, & magnitudines tuas narrabunt. Memoriam multae bonitatis tuae loquentur, & iustitias tuas laudabunt. Clemens, & misericors dominus: patiens, & multae miserationis. Bonus dominus omnibus, & misericordiae eius in vniuersa opera eius. Confiteantur tibi domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, & fortitudines tuas loquentur. Vt ostendant filijs hominum fortitudines eius, & gloriam decoris regni eius. Regnum tuum regnum omnium saeculorum, & potestas tua in omni generatione, & generationem. Sustentat dominus omnes corruentes, & erigit omnes iacentes. Oculi omnium in te sperant: & tu das eis escam suam in tempore suo. Aperis manus tuas, & imple omne animal refectio. Iustus dominus in omnibus vijs suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Iuxta est dominus omnibus qui inuocant illum: omnibus qui inuocant illum in veritate. Placitum timentium se faciet, & clamorem eorum exaudiet, & saluabit eos. Custodit dominus omnes diligentes se, & vniuersos impios conteret. Laudem domini loquetur os meum, & benedicet omnis caro nomini sancto eius in æternum, & iugiter.

Halleluia.

PSALMVS CXLVI.

Lauda anima mea dominum. Laudabo dominum in vita mea: cantabo Deo meo quamdiu sum. Nolite confidere in principibus: in filio hominis cui non est salus. Egredietur spiritus eius, & reuertetur in humum suam: in die illa peribunt cogitationes eius. Beatus cuius Deus iacob auxiliator eius: spes eius in domino Deo suo. Qui fecit cælos, & terram; mare, & omnia quae in eis sunt: qui custodit veritatem in sempiternum. Qui facit iudicium calumniam sustinentibus, & dat panem esurientibus: dominus soluit victos. Dominus illuminat caecos, dominus erigit allisos: dominus diligit iustos. Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet: & viam impiorum conteret. Regnabit dominus in æternum, Deus tuus Sion: in generationem, & generationem, Halleluia.

PSALMVS CXLVII.

Laudate dominum quoniam bonum est canticum Dei nostri: quoniam decorum est pulchra laudatio. Aedificabit Hierusalem dominus: electos Israel congregabit. Qui sanat contritos corde, & alligat plagas eorum. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnes nomine suo vocat. Magnus dominus noster, & multus fortitudine: & prudentiae eius non est numerus. Suscipiens manufactos dominus: humilians impios vsque ad terram. Canite domino in confessione: canite Deo nostro in cithara. Qui operit cælos nubibus, & praebet terrae pluuiam, & osi facit in montibus germen. Qui dat iumentis panem suum: filijs corui clamantibus.

Non

Non est in fortitudine equi voluntas eius: neque in tibijs viri placetur ei. Placetur domino in his qui timent eum, & expectant misericordiam eius. Lauda Hierusalem dominum: cane Deum tuum Sion. Quia confortauit ueteres portarum tuarum: benedixit filijs tuis in medio tui. Qui posuit terminum tuum pacem: adipe frumenti saturauit te. Qui emitit eloquium suum terra: velociter currit verbum eius. Qui dat niuem quasi lanam: pruinas quasi cinerem spargit. Proijcit glaciem suam quasi buccellas: ante faciem frigoris eius quis stabit? Mittet verbum suum, & soluet illa: spirabit spiritu suo, & fluent aqua. Qui annuntiat verbum suum Iacob: praecepta sua, & iudicia sua Israel. Non fecit similiter omni genti, & iudicia eius non cognoscent, Halleluia.

Halleluia.

PSALMVS CXLVIII.

Laudate dominum de caelis: laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes exercitus eius. Laudate eum sol, & luna: laudate eum omnes stellae luminis. Laudate eum caeli caelorum, & aquae quae super caelos sunt. Laudate nomen domini: quonia ipse mandauit & creata sunt. Statuit ea in saeculum, & in aeternum: praeceptum dedit, & non praeteribit. Laudate dominum de terra: dracones & omnes abyssi. Ignis, & grandis, & nix, & glacies: ventus, turbo, quae facitis, sermonem eius. Montes & omnes colles: lignum frugiferum & vniuersa cedri. Bestiae, & omnia iumenta: reptilia, & aues volantes. Reges terrae & omnes populi: principes & vniuersi iudices terrae. Iuuenes, &

virgines: senes cum pueris. Laudent nomen domini, quoniam sublime nomen eius solius: gloria eius in caelo & in terra. Et exaltauit cornu populi sui: laus omnibus sanctis eius, filijs Israel populo appropinquanti sibi, Halleluia.

Halleluia.

PSALMVS CXLIX.

Cantate domino canticum nouum: laus eius in congregatione sanctorum. Laetetur Israel in factore suo: filij Sion exultent in rege suo. Laudent nomen eius in choro: in tympano, & cithara cantent ei. Quia complacet sibi dominus in populo suo: exaltabit manus in Iesu. Exultabunt sancti in gloria: laudabunt in cubilibus suis. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in gentibus: increpationes in populis. Ut alligent reges eorum catenis, & inclytos eorum in compedibus ferreis. Ut faciant in eis iudicium conscriptum: decor est omnium sanctorum eius, Halleluia.

Halleluia.

PSALMVS CL.

Laudate dominum in sancto eius: laudate eum in fortitudine potentiae eius. Laudate eum in fortitudinibus eius: laudate eum iuxta multitudinem magnificentiae suae. Laudate eum in clangore buccinae: laudate eum in psalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis sonantibus: laudate eum in cymbalis tinnientibus. Omne quod spirat, laudet dominum, Halleluia.

F I N I S.

